

1. ~~2.~~ - then 6103rd

2. ~~Observations at~~
~~at Rom~~

00 fm



OBSERVATIONES
DE
PRIVILEGIIS
STUDIOSORUM,
AD
PETRUM REBUFFUM,
De Montepessulano.

Autore
JAC. FRID. LUDOVICI,
J. U. D. P. P. ET FAC. JURID.
ADSESSORE.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Apud CHRISTOPH. ANDR. ZEITLER.
An. MDCCV.

CESERATIOMEN

DE

COLLEGIS

ACADEMIA

INSTITUTI

ACADEMICO



ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO
NICOLAO BARTH-
LOMAEO MICHAELI
LIBERO BARONI
DE DANCKELMANN,
POTENTISSIMI REGIS BORUS-
SIAE CONSILIARIO STATUS INTI-
MO, REGIMINIS IN DUCATU MAG-
DEBURGICO PRÆSIDI, ET RE-
LIQVA,

MECENATI SUO SUBMISSO ANIMI CULTU
PROSEQUENDO

FELICITATEM.





CHIRI CHALOGI
IUGA COMASAVO
MOMS CAVI
PRANIS
SUS
ATU
LOR
ARTI
TAC
TAC
TAC

Ffero, Illustrissime Domine,
libellum de Privilegiis Stu-
diosorum, ante hos centum
annos & ultra à Petro Rebuffo in
Gallia publici juris factum, à me vero
in præsenti in epitomen contractum
sub-

DEDICATIO.

subiunctis perpetuo observationibus
succinctis observantiam & mores
hodiernos præcipue respicientibus.
Fateri cogor, quod materiae gravi-
tas ipsum vix commendet, præser-
tim cum clare, ut puto, ostenderim,
Autorem plurima pro Privilegiis ven-
ditasse, quæ tamen Privilegiorum
clasi adscribi non merentur. Nitor
etiam atque elegantia stili in eo non
deprehenditur, cum Autor seculo
adhuc barbaro scriperit, cuius ver-
ba propria retinere coactus sum,
quippe quod communiter facere so-
lent illi, imo debent, qui aliorum li-
bros excerpunt, ne alienam men-
tem Autoribus affingere videantur.
Et sane hisce positis nullum mihi ar-
gumentum ab ipso opere desum-
tum supereft, quod me permovere
potuerit, ut illustrissimo Nomi ni
TUO illud inscriberem. Est verò

a 3

aliud



DEDICATIO.

aliud, idque certissimum argumentum, GRATIA scilicet TUA, quæ omnes benignè complectitur, qui Tutamini TUO se suaque devota mente commendant. Accedit mirifica in omnes, qui studia colunt, benevolentia, dum litteras tueri & in majus meliusque provehere delicium TUUM atque voluptas est. Imo adhuc proprius suspetit argumentum, singularis nempe erga Sacerorum meum propensio, cuius rivulos haec tenus idque diversis vicibus in me quoque immerentem jam derivasti. Gaudeo itaque, quod per oblationem hujus libelli exoptatam diu occasionem nactus fuerim, qua Gratiam illam publice depraedare & simul devotam mentem meam declarare possim. Scio, TE non rei oblatæ qualitatem, sed potius intentionem offerentis consideraturum esse,



DEDICATIO.


esse, & hinc etiam confido, fore,
ut hoc meum institutum in melio-
rem partem benignè interpreteris.
Servet Te DEUS, Illustrissime Do-
mine, in seruos usque annos, augeat
gloriam Tuam, adsit consiliis Tuis
pro salute REGIS Ejusque Provin-
ciarum, in specie autem hujus Du-
catus susceptis. Me quod attinet,
id unicum in votis habeo, ut Gratia
TUA in perpetuum mihi frui liceat.
Dab. Halæ ipsis Kalendis Octobr.
MDCCV.

a 4

PRO-



PROGRAMMA
sub initium
Lectionum publicarum
De
PRIVILEGIIS STU-
DIOSORUM
propositum.



Postquam materiam de Privilegiis
Studioorum Lectionibus publicis
hâc aestate Dei auspicio in hac U-
niversitate habendis destinavi; non
inutile fortassis erit, ut nonnulla,
quæ ad historiam doctrinæ & simul ad scopum
meum, quem intendo, pertinere videbuntur,
per modum Discursus præliminaris præmittam.
Famosa certe, si unquam alia Lex, est con-
stitutio Friderici I. Imperatoris, quæ commu-
niter *Avth. Habita. C. Ne Filius pro Patre salutari*
solet, condita in Roncaliis, campis Italæ latè
Patentibus supra Padum, non procul à Placen-
tia, loco conventibus publicis Imperii Proce-
rum olim percelebri, v. Conring. de antiquit.
Acad. Dissert. s. p. 142. Dion. Gothofred. in not. ad
d. Avth. quem locum Guntherus lib. 7. de reb. gest.
Frider. ita describit:

Est locus Italæ, modicum sejunctus ab urbe,
Cui, quia pulchra situ placet, inde Placentia no-
men:

Planus, & Eridani placido junctissimus amni,
Effundit latos spatiose limite campos,



PROGRAMMA

eamque descriptionem ex proprio visu veritati conformem esse testatur Jo. Limnæus Jur. publ. lib. 8. c. 9. n. 4. Integrum Constitutionis textum ut transcribamus, necesse non est, sed sequentia, quæ caput rei consciunt, hic inseruisse satis erit. Ita autem statuit Imperator: *Omnibus, qui causa studiorum peregrinantur, scholaribus & maxime divinarum atque sacrarum Legum Professoribus, hoc nostre pietatis beneficium indulgemus, ut ad loca, in quibus literarum exercentur studia, tam ipsi, quam eorum nuncii veniant, & in eis securè habent.* Et paulo post: *Hac igitur generali & in perpetuum validura Lege decernimus, ut nullus de cetero tam audax inveniatur, qui aliquam scholaribus injuriam inferre presumat, nec ob alterius cuiuscunque provinciae delictum sive debitum (quod aliquando ex perversa consuetudine factum audivimus) aliquid damnum eis inferat: --- Veruntamen si litem eis quispiam super aliquo negotio movere voluerit, hujus rei optione data scholaribus eos coram Domino vel magistro suo, vel ipsis civitatis Episcopo, quibus hanc jurisdictionem deditus, conveniat. Qui vero ad alium judicem eos trahere tentaverit, etiam si causa justissima fuerit, à tali conamine cadat.*

Hæc sunt verba illius Avthenticæ, quæ privilegia Studiosorum in se complectuntur, quorum occasione deinde maxima inter Doctores



PROGRAMMA.

ctores & recentiores & antiquiores de numero
Privilegiorum disceptatio exorta est. *Duo* tan-
tum recensent nonnulli, inter quos Conring.
de antiquit. Acad. Diff. 6. p. 173. & Brunneman. *ad*
Auth. Habita in Comm. C. Vivendi scilicet securi-
tatem contra repressalias tunc temporis maxi-
me frequentes & deinde fori optionem. *Terti-*
um vero addit. Dion. Gothofredus *in not. ad d.*
Auth. & alii communiter, nempe immunitatem
& vestigalibus, quod ipsum ex verbis Athenticis
deducunt, quando Imperator Studiosos
secure habitare debere constituit, ejusmodi e-
nim securitatem obtineri non posse existimant,
si ad vestigalia persolvenda adstringantur.
Displicit vero hæc violenta verborum exten-
sio & Conringio *loc. cit. p. 147.* & Zieglero *in tr.*
de jur. Majest. lib. 2. cap. 8. §. 8. Sententia incom-
parabilium horum Virorum, & JCti & Medi-
ci, eo reddit: Verba Athenticæ nimis gene-
ralia esse, quam ut specialem hanc immunita-
tem probare queant. Leges scilicet omnibus
hominibus æqualiter securitatem tribuere, nec
tamen propterea omnes à vestigalium soluti-
one immunes esse. Securitatem quoque non
impediri, si ab aliquo exigantur communes
& solitæ præstationes, ut nec debitores eo mi-
nus securè vivere intelliguntur, quo magis
debita ab ipsis exiguntur. Improbat quoque
dictam extensionem Limnaeus *de Jur. Publ. l. 8.*
c. 9. num. 17. Dionysius Gothofredus quidem
hac



PROGRAMMA.

hac ratione usus esse videtur, quod alias & nisi talis explicatio admittatur, Imperator nihil peculiare constituisse, quia omnibus securitas in Legibus indulgetur; at vero hoc dubium jam iterum resolvit Conringius p. 175. in hunc modum, quod licet peregrinus omnis ab injuria tutus sit jure divino, naturæ, Gentium & civili, propter mores tamen istius extatis, ubi jus in armis vigebat, necessarium fuerit nova lege munire innocentiam peregrinantium Studiosorum, neminem enim latere, repressalias, aut pignorationes quoque in frequenti, imo nimio usu fuisse, unde dum Imperator studiosos adversus illas munivit, sine dubio peculiare quid constituit.

Julius Pacius, JCtus alias celeberrimus, peculiarem quoque *de Privilegiis Studiosorum* edidit libellum, sed adhuc auxit numerum Privilegiorum ternarium, de quo ha& Etenu, quatuor enim sequentia ex s̄aþe adducta Aþthentica dedit: *Primum*, ne injuria afficiantur: *Secundum* adversus Pignorationes: *Tertium* de foro competente & *quartum* de electio-
ne Judicis. Sed sine necessitate primum à secundo & tertium à quarto separasse videtur, cum revera inter se convenient alterumque ex altero profluat.

Hi sunt illi Autores, quos nobis inspicere licuit, & qui Privilegia Studiosorum ex verbis Aþthenticæ deduxerunt. Cum vero per quam



PROGRAMMA.

quam pauca sint hæc privilegia, merito judice Conringio pag. 369. mirere, imo improbes, quod vulgo tantum non omnia Academiarum Privilegia ab interpretibus quibusdam hinc exsculpi soleant, quorum tamen pleraque (si qua sunt) longo post tempore demum & per partes sunt instituta, ejusmodi laxis interpretationibus verus Avthenticæ sensus penne interiit. Nihilominus tamen numerus privilegiorum scholarium generalium (de speci alibus enim, quæ forsan huic illive Academiæ concessa, in præsenti non erimus solliciti) quam maxime excrevit. Quamvis enim Medicus, Conringius d. p. 369. rectè statuerit, privilegia esse stricti juris & sic ultra verborum præscriptum minime extendenda; Jcti tamen admodum multi in omnia alia abierunt pro extensione, ratione licet repugnante, strenue pugnantes summaque imis, falsa veris & absurdâ quævis rectè dictis miscentes. Christophorus Besoldus in *Dissert. de Studiosis, Magistris, Licentiatis & Doctoribus eorumque Privilegiis* Cap. 3. enumerat viginti: Superat eum Horatius Lucius, qui centum congesit in *Tract. de Privilegiis Studentium*, sed hunc iterum vincit Petrus Rebuffus de Montepessulano, in *Tract. de Privilegiis Universitatum, Collegiorum, Scholariorum, Bibliopolarum, & omnium demum, qui Studiosis adjumento sunt, adjuncta elucidatione, Avthenticæ Habita. C. Ne filius pro Patre, hic enim*



PROGRAMMA.

nim Autor numerum privilegiorum usque ad centum & octoginta auxit, ut adeo, qui hunc noverit, omnes norit, qui aliqua saltem privilegia eaque sparsim recensent, Speckhan. Cent. 2. class. i. quest. ii. seq. Cothmann Consil. Academ. i. Thomam Lansium de Academiis, Ollendorpium in Tractat. de jure singul. tit. de privileg. que bonar. liter. Professor. Schwederum introd. in jus publ. part. spec. Sect. i. C. 6. §. 8. & quem hic allegat Bechmann. de Privileg. Studiosorum, Gilkenium, Bolognatum, Christophorum, Kuppenerium ad Avth. Habita, citatos à Brunnenmann ad d. Avth. Andream de Isernia, Scipionem Gentilem, Sichardum ad eandem Avthenticam, Limnaeum de jure publico lib. 8. cap. 9. Bennium de Privileg. Jureconsultorum, Helfricum Ulricum Hunnium de Privilegiis Studiosorum apud Frischium in resolut. quest. Habeatne Rector & Academia Concilium merum imperium, p. 222. quæ resolutio Besoldi diff. de Studios. Privileg. est subjuncta, & si qui forsitan sunt plures alii.

Nos ex omnibus hisce unum selegitimus Rebuffum, juxta cuius ordinem centum & octoginta studiosorum Privilegia in Lectionibus publicis recensebimus & simul ad trutinam justæ revocabimus. Exemplaria hujus Autoris in Bibliopoliis vix inveniri poterunt, unde animus est, summam cujuslibet Privilegii cum succincta epicrisi typis expressam Auditori-



PROGRAMMA.

toribus communicare & deinde in discursu
majorem subjungere explanationem. Ne ve-
ro existimetis, suavisissimi Commititones, me
omnia illa, quæ Petrus noster aliique pro Pri-
vilegiis venditant, ex veneratione antiquita-
tis defensurum esse. Non etiam autoritati-
bus tantum pugnabo, quippe quæ judice Jo-
hanne Vincentio Gravina *in prefat. ad nitidis-*
sum de ortu & progressu juris civilis librum,
(superiore anno Lipsiæ recusum) arma sunt,
imperitorum quæque indicem pervolventi-
bus præsto sunt in utramque partem; sed ra-
tionibus principiis genuinis conformibus as-
sertiones meas stabilire contendam. Sunt
scilicet in Rebus pariter & Horatio Lucio
non pauca, si non plurima, in quæ optimè
quadrat assertio Conringii p. 379. dicentis, illa
a Doctoribus duntaxat ceu juri aut æquo con-
sentanea producta, simul tamen minus firma
esse, quandoquidem ipsi Doctores sententiis
discrepant, & sœpe numero imbecilibus ni-
tuntur argumentis. Imo, addo, sunt perquam
multa quæ aperte cum Religione & morum
honestate pugnant, de quibus jam olim Joh.
Matth. Meyfartus, Professor Theologiz Erf-
furtensis graviter conquestus in tractatu Ger-
manico A. MDCXXXVI. edito sub Titulo:
Erinnerung von Erbauung und Fortsezung der
Academischen Disciplin auff den Evangelischen
hohen Schulen in Deutschland/ in quo tractatus



PROGRAMMA.

*lib. 1. cap. 4. singula privilegia ex Rebuffo ordi-
ne recenset ac in epicrisi addit, es seye unfeug-
bahr/ daß etliche Freyheiten unchristlich seyn/ deß-
halb Er auch etliche übergangen und nicht setzen
mögen/ in specie XXI ubi statuit Rebuffus, quod
scholaris meretrices invito suo socio in domum
locatam & in cubiculum suum, sive Cameram,
introducere posit. Privilegium sane à mali-
gno spiritu concessum.*

Eiusmodi inepta, absonta & impia privilegia
à genuinis, si quæ supererunt, separare iisdem-
que justam addere censuram sine dubio omni-
um, qui honestatem amant, imo totius rei
Christianæ quam maxime intererit. Demon-
strabo enim luculenter, fontem omnis mali-
tiae, quæ passim in Academiis ab zvo Mey-
farti ad nostra usque tempora proh dolor! ad-
huc regnat, ex Privilegiis illis originem suam
duxisse. Initium hujus laboris d. XIV. Maji
hora XI, in Auditorio publico fiet. P. P. in-
Academia Fridericana d. X. Maji
A. O. R. MDCCV.

PRIVI-





Q. D. B. V.

PRIVILEGIUM I.

Quod licet ab omni opere diebus
feriatis cessare debeamus, Scho-
lares tamen totis (ut ajunt) ner-
vis studere & legere possunt &
debent. Pag. I.

OBSERVATIO.

§. I.

PRIVILEGIUM hoc & ex divino, ca-
nonico & civili iure, nec non ex
historiographis & Poetis se dedu-
cere & probare velle promittit.
Rebuffus. Ex jure *divino* adducit locum,
Luc. IV. ubi habetur, quod Christus non fo-
lum die Sabbathi docuerit, sed & impurum
spiritum ejecerit, *v. 16. seqq.* & *v. 33. seqq.* ad-
dens, quod eodem die illuminatus Saulus,
Act. XI. & Thotmas de resurrectione Christi
certior factus fuerit, *Job. XX.*

§. II. Ex jure Canonico adducit *c. 3. X. de-*

A

feriis

feriis, ubi dicitur, quod in casu necessitatis etiam die dominica fructus agrorum colligere liceat: *Clement. i. §. licet. de V. S.* quæ orationem & studium labores spirituales esse dicit: item *c. fin. in f. X. de Magistr.* in quo cap. de docentibus & studentibus in Theologica facultate affirmatur, quod in vinea Domini operentur, &c.

§. III. Ex jure Civili habet *l. omnes. 3. C. def.* quæ itidem disponit, ut in casu necessitatis fructus colligere liceat: *L. 9. ff. de feriis,* in qua ea, quæ ad militarem disciplinam pertinent, peragere permittitur, &c.

§. IV. Ex Virgilio in *Georg.* sequentia sub jungit:

*Quippe etiam festis quedam exercere diebus
Fas & jura sicut sunt, rivos deducere nulla
Religio vetuit, segeti pretendere sepem,
Insidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantemque gregem fluvio mersare salubri.*

§. V. Hæ sunt illæ Rebuffi probationes, miseræ admodum, ut putamus. Virgilii scilicet aliorumque similiūm, quos adducit, nulla in præsenti quæstione autoritas est. Textus ex jure divino, Canonico & civili adlati vel de studio sacrarum literarum loquuntur, vel de casu summæ necessitatis, vel



PRIVILEGIUM II.

3

vel si jus civile aliquid indulget, quod cultui divino contrarium est, ejus autoritatem iterum non agnoscimus.

§. VI. Si ergo de studio divino, de officiis charitatis & necessitatis loquitur Rebuffus, nullum exinde intuitu scholarium inducere potest privilegium. Ea enim omnibus hominibus non solum licita sunt, sed etiam iisdem incumbunt. Quo pertinent, quæ p. 10. habet, quod diebus festis non debeat recusari consilium miserabilis personis, nec pupillis, pauperibus ceterisque id generis hominibus. Et bene observat p. 4. quod ignavi scholastici libenter festa observent, eò scilicet fine, ut in illis saltent, vel ludant. Quæ vero p. 10. adducit, quod diebus festis scholares non debeant addiscere scientiam prohibitam, vel fabulas turpes & ad incentivum libidinis inducentes; ea iterum non modo ad festos, sed & reliquos dies eodem jure pertinent.

PRIVILEGIUM II.

Quod sicut scholaris potest studere diebus festis, ita & in templo. Pag. 10.

A 2

OBSER-



OBSERVATIO.

§. I. Bonum argumentum dicit esse Rebuffus *de tempore ad locum*. Ergo, quia in præcedentibus afferuerat, licitum esse, ut scholares die feriato Studiis incumbant, hoc etiam in templo licitum esse putat. Quoniam vero ipse hanc assertionem limitat, p. II. quod non procedat, quando in templo requiritur attentio & devotio exterior, v.g. juxta ipsius hypothesin e tempore, quo celebratur missa: & vero, quoties verbum Dei docetur, ejusmodi attentio & devotio semper necessaria est; hinc non video, quare ratione hoc privilegium sustineri possit, maxime cum addat Rebuffus d. p. II. in f. se putare, convenientius esse, ut in ecclesia quis oraret, omnibus aliis dimissis. Aut ergo quis in templo tali studio incumbit, quod non est privilegium, sed necessitas illud exigit: aut vero ea studia tractat, quæ devotioni obstant, & hoc inter prohibita referuntur.

PRIVILEGIUM III.

Quod scholaris possit expellere famulum vel alium etiam in sua domo

mo commorantem, si eum in suo studio perturbet. P. 12.

OBSERVATIO.

§. I. Testatur Rebuffus, se ipsum vi hujus privilegii expulisse Montepessulano textorem quendam existentem juxta Collegium *du Vergier* & semper alta voce canentem & Collegiatos impedientem. Nam illum, addit, conveni coram Judice, coramque isto allegavi, quibus auditis per Judicem factum illi extitit præceptum, ut canere ita altè cefaret, vel discedere haberet: sed cum canere ita solitus esset, ægre ferens discessit.

§. II. Ampliat hoc privilegium p. 13. ut quoque alius Scholaris expelli poslit, qui alte legendō vicinum impedit, ut studere nequeat. P. 15. extendit illud ad eos opifices, qui fœtidam artem exercēt & sic malis odoribus Doctorem, & scholarem impediunt, imo *ead. p.* subjungit, *ipsum plane diabolum* prohiberi posse, ne strepitum faciat in domo, modo inveniretur serviens, qui hanc illi inhibitionem facere auderet.

§. III. Quid vero de hoc Privilegio statuendum? Imola *ad l. i. C. de Stud. liber. urb. Rom. lib. ii.* de eo jam dubitavit, quantum ad studiosos attinet, ex ratione, quia non-



est par utilitas studiosorum, quam quæ est intuitu Doctorum. Respondet Rebuffus p. 13. non esse minorem utilitatem in studentibus ratione habita ad tempus futurum, quam in Doctoribus, quia Doctores scholares fuerunt & scholares Doctores efficientur. Nobis tamen nihilominus placet opinio imolæ exsequenti fundamento.

§. IV. Quod Literatis communiter concedatur Privilegium expellendi opifices vicinos, qui cum strepitu opicia sua exercent, de eo generaliter nunc quidem non disputabimus. Sed queritur saltem; an sub nomine *Literatorum* in hac materia etiam studiosi comprehendantur? Nobis non videtur. Competit scilicet dictum Privilegium illis solummodo Literatis, qui domicilium suum in aliquo loco constituerunt & familiam suam ibi alunt, adeoque non facile locum mutare possunt, nec solent. Ast vero intuitu Studiosorum hæc omnia secus se habent. Non constiuant illi domicilium in Academiis, ubi vivunt, nec familiam alunt, & sic facile locum mutare possunt & solent. Ergo ad eos non pertinet Privilegium. Imo nec ipsos Literatos, qui familiam alunt, opifices propterea expellere pos-

sc



se puto, quod altè canant, ut loquitur Rebuffus, v. §. I. b. Privileg. Ille enim strepitus solum consideratur, qui ordinarie cum opificio conjunctus est, at verò cantilenæ ita non sunt conjunctæ cum opificiis.

PRIVILEGIUM IV.

Quod hæc causa contra perturbantes scholasticos, vel studium, etiam die feriata agitari posit.

P. 16.

OBSERVATIO.

§. I. Ferias in honorem Dei introductas excipit ipse Rebuffus p. 17. De feriis humanis autem ut dispiciamus ideo opus non est, quia modo negavimus, quod Studiosis jus expellendi opifices cum strepitu opificium suum exercentes competit. Transeat E. & hoc privilegium.

PRIVILEGIUM V.

Quod causa studii summarie & de plano tractari debeat. P. 17.

OBSERVATIO.

§. I. Explicat hoc Privilegium Rebuffus de eo casu, quando de viatico Studiosorum, seu de alimentis ipsorum agitur, quia hæc

A 4

causa



causa est pia, non minus, ut causa dotis, quæ sibi æquiparantur per l. i. ff. solut. matrim. ibi que DD. ne scilicet studentes litigando (intellige in ordinario Processu) fame pereant.

§. II. Interim sicut Rebussus conqueritur de Judicibus in Regno Galliæ, quod male servent hoc Privilegium, quia processus ordinarios & dilationes ordinarias concedunt in his causis: ita quoque vereor, ne idem in foris Germaniæ accidat, in quibus & Processus ordinarii & summarii ferè immortales sunt, & adeo, ne hoc Privilegium ad meram theoriam, non vero ad praxin pertineat. Litigantes hoc optime experuntur. Præterea etiam non esset Privilegium Studiosorum in specie, sed omnibus illis competens, qui alimenta expetunt.

PRIVILEGIUM VI.

Quod à sententia lata super expulsione non posse appellare faber, vel alias, contra quem est lata sententia. P. 17.

OBSERVATIO.

§. I. Rationem dat Rebussus, quia studium dilationem non patitur. Nos ita: Corruente

ruente Privilegio III, quod ante ostendimus, etiam Privilegium VI. corruit.

PRIVILEGIUM VII.

Quod quamvis rem suam non teneatur Dominus invitus alteri locare, hoc tamen non habet verum in scholaribus, qui si non inveniant domos, possunt compellere habentes ad illis locandum. P. 18.

OBSERVATIO.

§. I. Admodum hic ineptit Rebuffus noster. Ampliat enim p. 19. assertionem suam, ut non solum ea in domo procedat, sed etiam in equo. Nempe, dicit, si Scholasticus velit recedere de studio, potest compellere habentem eqvum, si illum Dominus consverat locare, ad sibi locandum. Rationem subjungit: Quia hospes postquam signa hospitii erexit, cogitur hospites recipere, Ergò multo fortius is, qui consvervit locare equum.

§. II. Sed vero hoc argumentum à Caupone ad illum, qui equos locare solitus est, procedere non videtur. Necesitas enim,

A 5

si qua



si qua est, recipiendi iter facientes ideo in-
cumbit hospiti, quia peregrinantes alias sub
dio & in plateis jacere cogerentur cum ma-
ximo suo incommodo, qualis necesitas in-
studioso ex Academia recedente non depre-
henditur. Potest enim cursu publico uti,
vel uno recusante locationem eqvum alibi
quærere, quia periculum in mora deficit.
Addo: si revera subesset Privilegium, hoc
exinde proflueret, ut vult Rebuffus, *quia*
Dominus equi eundem locare consuevit. Qua-
ratione admissa Privilegium non pertineret
ad solos Studiosos, sed ad omnes homines,
& sic iterum non esset Privilegium.

§. III. Ipse etiam Rebuffus huic privilegio
parum tribuere videtur, fallere enim illud
dicit p. 19. inf. si literatus est ignotus, cui
dominus eqvum non nisi datis fidejussori-
bns locare tenetur. Sed plerique Studiosi
sunt ignoti, E. plerumque hoc privilegium
fallit. Pergit: *quid si scholaris pro illo equo*
locato non inveniret fidejusorem? Resp. Cre-
derem, quod expensis suis detur ei nuncius,
seu cursor ad sequendum eqvum cum pecu-
niis Locationis usque ad domum dicti Scho-
lastici. Sed mox limitat: *nisi ille fuerit pes-*
simus, ut quia Diabolus stat à dextris ejus con-
tinuo.

tinuo. Hoc vero unde dijudicabitur? sine dubio maxima plerumque difficultas aderit. Interim tamen in re ita dubia equum locare non tenebitur Dominus, qui metuit, ne forsan diabolus stet à dextris hujus scholastici, quia ut plurimum contra eos præsumtio est.

§. IV. Cum ergo ipsum Privilegium cesseret, non opus est, ut de reliquis quæstionibus dispiciamus, quas magno numero hic pertractat Rebuffus, v. g. *An Studiosus equo conducto avenam dare teneatur?* *An conveniri possit, si fustibus equum ita verberat, ut equus exinde moriatur?* *quo tempore pensia solvenda?* & quæ sunt similia, quorum omnium decisio ex jure cœmmuni haurienda, non ex doctrina de Privilegiis.

PRIVILEGIUM IIX.

Quod Dominus ædium non possit expellere scholares, licet ipse domo locata quam maxime indigeat. P. 24.

OBSERVATIO.

§. I. Fundamentum hujus privilegii juxta Rebuffum in eo consistit, (1) quia utilitas publi-

publica præfertur utilitati privatæ, utilitas autem ex studiis proveniens est publica, quoniam ex scientia Studiosi mundus gubernabitur & illuminabitur, *DD. ad l. 1 ff. solum matrim.* (2) quia Studiosi dominos ædium ad locandum compellere possunt, E. ipsi deinde non poterunt expelli, & (3) quia Dominus ædium, qui notus est in Civitate, facilius pro necessitate sua domum inter cognatos & amicos inveniet, quam quidem Scholaris exterus, qui nullos, vel admodum paucos in civitate, in qua degit, habebit amicos.

§. II. Sed quemadmodum ad Privilegium præcedens §. II. seqq. modo observavimus, quod Studiosi dominos ædium invitos ad locandum adigere nequeant, quo ipso secundum Rebuffi argumentum corruit: ita quod primum notandum, quod nimis generale & remotum sit, neque illud, quod volebat Rebiffus, exinde inferri queat. Imo multa adhuc magis inde sequentur, si dictum fundamentum admitteremus. Eodem enim prætextu Studiosus dominum ex proprio hypocausto expellere posset, quia forte hoc studiis magis commodum censeret. Tertium argumentum invertendum esse cen-
seo



seo. Studiosus enim, qui familia non est instructus, facilius iuvet h[ab]itum hypocaustum, quam quidem Paterfamilias. *Quemadmodum E.* hoc prætensum Privilegium in theoria non est fundatum: ita quoque notorie in praxi non observatur.

PVIVILEGIUM IX.

Quod Dominus ædium invitus scholari cubiculum relocare debat, si tantum solvere paratus est, quantum aliis offert. P. 26.

OBSERVATIO.

§. I. Provocat ad *l. fin. C. de locat. pred. ci- vil. lib. II*, sed ibi quidem *de prediis domus Augustalis* sermo est deque eorum Condu- citoribus, unde non video, quomodo ulla ratione exinde argumentum ad Studiosos, qui in privatis ædibus cubicula conduxerunt, deduci possit. Rationes, quas subjungit, itidem nullius valoris sunt. Frequens mutatio, inquit, levitatem ingenii arguit; Resp. imò non, præterim si illa coactè fiat. Sed, addit, temporis etiam amissionem parit; Resp. Hæc temporis amisio modica est & fa- cile reparari potest per subsequentem dili- gentiam. Quod paulo post subjungit: scho- lares

lares ratione utilitatis ex scientia provenientis aliis præferri debere; id aperte petit principium & valde absurdum est illustratio à simili, quam habet, sicut, inquit, dicimus de Domino, qui in fructibus ex suo fundo à Colono perceptis aliis præferendus venit.

§. II. Quia ergo illud Privilegium iterum corruit, hinc non opus est, ut circa quæstiōnem, quam pag. 27. habet, nos detineamus, quisnam scilicet inter literarum Studiosos diversa Facultatis in domo conducta alteri præferri debeat? Rebuffus refert, quod communiter præferatur, qui in nobiliōri Facultate vivit, ipse tamen priorem Conductorem sine distinctione Facultatum posteriori præferendum esse existimat, quia Privilegiatus contra Privilegiatum non utitur privilegio. Quid nos? Eum præferendum esse putamus, qui majorem mercedem offert, aut qui ob morum honestatem, vel aliam causam Locatori magis est acceptus.

PRIVILEGIUM X.

Quod Doctor vel scholaris, qui ante finitum tempus locationis conduxit domum alii scholari locatam, sine consensu conditoris

ctoris prioris, sit excommunicatus. P. 28.

OBSERVATIO.

§. I. In c. i. X. de locat. de hac excommunicatione quidem agitur, sed tamen dispositio ad solos Magistros & Scholares Bononienses pertinet. Ergo privilegium generale omnium scholarium exinde deduci non potest, nec contrarium probavit Rebuffus pag. 29. quamvis hanc objectionem removere voluerit. Recte se habent interim assertiones, quod humanius conversari inter se debeant studiosi, quam cum extraneis & quæ sunt similia; sed exinde nondum sequitur, E. si hoc non faciunt, fulmine excommunicannis puniri debent; Neutquam.

PRIVILEGIUM XI.

Quod scholaris non finito tempore suæ locationis recedens de domo conducta propter pestem, vel aliam justam causam, non tenetur ad pensionem totius anni, sed temporis solius, quo illam domum in habitavit, vel cubiculum. P. 30.

OBSER-



OBSERVATIO.

§. I. Quæ hic inter Privilegia refert Rebuffus, ea non ad solos Studiosos pertinent, sed omnibus conductoribus conceduntur in l. 27. §. 1. ff. Locat. ubi Dion. Gothofredus in notis multa exempla justi timoris, e. g. pestem, spectra, &c. refert. Parum appositi E. hic pro privilegio suo stabiliendo adducit Rebuffus, p. 31, quod ipse Christus in Aegyptum fugerit, ut mortem Herodis vitaret, & quod dixerit: si quis te persequatur in una ciuitate, fuge in aliam; item, quod evanuerit in templo, dum Judæi lapides in ipsum projiciebant, & quæ sunt ejusmodi alia.

§. II. Limitationes quoq; quas subjungit p. 33. v.g. quod non possit migrare studiosus, si tempore conductionis jam adsuerit pestis: si conventū fuerit, quod ob pestem non debeat fieri remissio: si scholaris pestem procurasset, &c. iterum sunt juris communis, ad omnes conductores applicari possunt, & sic ad materiam privilegiorum non pertinent. Idem judicium esto de reliquis, quæ in sequentibus adducit. Lepide tamen taxat p. 38. Studiosos Veneri magis, quam Themidi litanter, dicens: Qui aliunde possunt vivere & habent

bent pulchras uxores, non sunt soliti hospitari studentes venereos ultra duos dies, & dicunt Zelotypi, sint procul à nobis, sed mulieres bene convenient cum illis, cum similes sint illis, sattem in vestibus.

PRIVILEGIUM XII.

Quod Studiosus recedens de domo conducta potest in locum suum alium subrogare. P.39.

OBSERVATIO.

§. I. Hoc iterum est juris communis & omnibus Conductoribus permisum, ut ipse agnoscit Rebuffus. Recte enim distinguit inter contractus, in quibus *industria personae alterius est electa*, & in quibus ad eandem non respicitur, uti in hoc contractu, v. expressum textum in l.6. C. de Locat. & ibi Brunnemannum, qui limitationes suppeditat.

§. II. Reliqua, quæ hic tradit Rebuffus p. 40. seqq. ad rem plane non pertinent. Quærit.: Si multi Scholares despaciantur & unus illorum invenit pecuniam, an alii debeant habere suam partem? Negat. Quid si facta sit convention inter Scholares de stando & vivendo simul toto tempore studii, quareritur, an unus recedere



cedere posse ab illa conventione, si alter modestus & rixosus esse cœperit? Affirm. ex vulgaris regulis de societate. Sic v. g. dicit Rebussus, Artista non congruit cum Legistis & ex Ovidio addit:

*Quam male inaequales veniunt ad aratra
juvenci,*

Cum premitur magno Conjuge iupta minor.
Subjungit: hoc collegialiter verum esse, ut sint collegiati, vel bursarii, secus autem, si ad tempus habitare velint.

§. III. Quærit p. 43. Si sint duo scholastici in eadem Camera discordantes, cujus consuetudo servari debeat? Respondet: si unus jejunet pro more diebus Sabbathi, alter non, tertius debet adhærere jejunanti. Si scilicet jejunium est præcepti. Alias vero non tenetur jejunare, sed vicissim, qui jejunat, non tenetur contribuere ad pensionem coenæ. Et si unus velit vigilare usque ad medianam noctem, alter vero dormire hora nona & is, qui hora nona dormit, non vult perturbari ab alio, dicerem, inquit, melius esse isti, ut eligat socium suis moribus similem. Concedo. Sed quid hæc ad Privilegium, de quo sibi agendum sumserat Rebussus.

PRIVI-



PRIVILEGIUM XIII.

Quod si Statuto Civitatis caveatur, quod quis sub poena decem non emat frumentum, nisi pro suo tantum usu & victu, si scholaris emat pro toto anno, postea tamen mutato proposito in medio anni vel alio tempore vult recedere, non ineidit in poenam statuti, quasi emerit ultra usum, quia primum propositum fuit bonum & licitum. P. 44.

OBSERVATIO.

§. I. Probationem desumit Rebussus ex assertione Bartoli, Alberici, Baldi & aliorum similium. Nec, addit, Scholasticum vendentem ejusmodi res ad solvendam gabellam, vel aliud onus obstrictum esse, in cuius rei fidem proprium exemplum adducit. Ita mihi, inquit, apud Bituriges contigit, dum volebam discedere & vendidi vim num emtum & nihil solvi.

§. II. Nos putamus, assertiōnē Baldi, Bartoli, Alberici aliorūq[ue] nō posse Pri-



vilegium producere. Deinde etiam casum vix dabilem esse censemus, ut Studiosus propria familia destitutus ad usum totius annis res sibi compareret. Ex quo concludimus, privilegium hoc ad non entia referendum esse.

PRIVILEGIUM XIV.

Si literarum Studiosus finito studio velit recedere, potest rerum communium partem petere à sociis. P. 45.

OBSERVATIO.

§. I. Rationem dat, quia finita censetur esse societas, quantum ad illum. Ergo, dicit, poterit illa bona postea vendere Studiosus, & cineres, fimum & paleas, quando discedit, nec ad hospitem pertinent, nisi gratis inhabitaverit.

§. II. Egregium sane privilegium. Quis desiderat cineres, fimum & paleas Studio-rum? et si Rebuffus addat, quod Studiosum sint liberales, ista nihil faciant, & suis hospitibus relinquant, si iis grati sint. Ce-terum si Studiosus in societate cum aliis vi-xit, sine dubio, quando discedit, ad divisi-onem

onem provocare potest, hoc enim est juris
communis & non pertinet ad Privilegia.

PRIVILEGIUM XV.

Quod fuga contra Scholaisticos
non faciat indicium commissi de-
licti. P. 45.

OBSERVATIO.

§. I. Præsumitur enim juxta Rebuffum, quod Scholaisticus iverit parentes visendi causa & amicos, & quærendi pecunias, seu forte eo; quod Præceptor immoderatè eo utebatur, l. 17. §. 3. ff. de Æd. l. Edict. Unde, addit Rebuffus, Tholosæ excusavi unum studentem, qui discesserat commisso ibidem per alium homicidio, & postea reversus captus fuit: inducebatur præsumtio fugæ, sed eum liberavi viso illo textu & aliis per me allegatis.

§ II. Ego quidem textum in d. l. 17. §. 3. etiam vidi, sed aliud in eo non deprehendi, quam quod non habeatur pro servo fugitivo ille, quo Præceptor male usus est, seu, quem durius tractavit. Qualis vero illatio? Servus non habetur pro fugitivo, si Præceptor eo male usus est, ut propterea

B 3

actio



actio redhibitoria institui possit: Ergo contra studiosum, si aufugit, non nascitur præsumtio commissi delicti.

PRIVILEGIUM XVI.

Quamvis commodatum non pos-
sit, nisi usu finito revocari; fallit
tamen in studentibus, qui si com-
modaverint Digestum, vel alium
librum & nunc legatur, vel velint
recedere, non tenebuntur expe-
ctare diu, imo poterunt statim
revocare commodatum. p. 46.

OBSERVATIO.

§. I. Ne scilicet amittant Lectiones & te-
rant tempus in vanum sine libris, prout ex
Baldo in not. ad l. pen. C. Commodati adducit.
Idem, addit, si dederint amico suo com-
modato libros, ut illos Creditori obligaret,
pecunias mutuo recipiendi causa, nam po-
stea poterit agere contra commodatarium,
ut illos redimat, per textum in l. si ut certo.
§. §. nunc videndum. 2. ff. commodati.

§. II. Ut distincte de prætenso hoc privi-
legio dispiciamus, sequentes casus sunt se-
parandi. Aut enim simpliciter quis alteri
con-

concessit librum *sine determinatione usus & temporis*, quod communiter fieri solet; & tunc revera subest precarium, quod non solum Studiosis, sed cuilibet etiam illiterato pro lubitu revocare permittitur, l. 12. pr. ff. de precar. Aut vero certum tempus & certus usus est determinatus, & tunc ulterius videndum, utrum scilicet res commodata repetatur ex necessitate subito superveniente, an sine eadem. Priori casu revocatio iterum cuilibet permissa absque speciali Privilegio, arg. l. 3. C. de Locat. & conduct. Posteriori autem nemini, ne Studiosis quidem, neque etiam in l. 5. §. 2. ff. Commodati aliud quid disponitur. Imo illa lex hic plane non pertinet, sed solum de gradu culpæ in quolibet contractu præstanto agit.

PRIVILEGIUM XVII.

Licet quis non cogatur agere invitum, fallit tamen, quando studens est recessurus post suum studium finitum, potest autem à Judice impetrare, ut qui velit agere contra eum, aut intra tempus à Judice moderandum hoc

B. 4. faciat,



faciat, aut alias perpetuum non agenti imponatur silentium.
P. 47.

OBSERVATIO.

§. I. Hoc cuilibet Debitori licet, qui ære alieno gravatus est, ut Creditores suos ad liquidanda credita provocet, atque tunc Jūdex Creditoribus certum terminum ad hoc perficiendum sub pœna perpetui silentii præfigat, prout hoc quotidie in Concursibus Creditorum observari videmus. Non E. adest privilegium.

§. II. Et licet adesset, puto tamen, quod Studiosi illud vix sint agniti. Proh dolor, dicit Rebiffus p. 47. quidam scholastici discedunt de nocte, sicut noctuæ, quando contraxerunt æs alienum & postea obliiscuntur solvere & eo excommunicantur & sic excommunicati longo tempore cessant solvere. Mihi, addit, tanquam experto crede, quia apud Caturcum ista mihi contigit in aliquo, cui credideram multos aureos & plus exposui in repetendo mutuum, quam ascendebat debitum, adeo ut computatis expensis nihil unquam receperim, alios multos numerarem, sed tales non merentur,

rentur, nisi in libro rubeo proposito describi.

PRIVILEGIUM XIIIX.

Ut nullum onus agnoscant pro hospitiis, in quibus habitant, & si quid præstiterint, computant in pensione domus. P. 47.

OBSERVATIO.

§. I. Ipse Rebuffus circa hoc Privilegium sequens dubium movet: *Sed hoc videtur omnibus competere, ut si solvant, posint imputare per actionem ex illo contractu Locatori, ergo non erit privilegium;* Respondet vero, in eo manere adhuc differentiam, quod alii Conductores ad reparaciones cogi queant, non vero scholares, ne à studiis impediantur, alioqui eos desertores studiorum efficeremus & sic in hoc est privilegium. Imò non est. Nullus enim conductor ad reparacionem domus conductæ cogi potest, sed Locator eam reficere debet, aut si hoc facere recusat, conductori à contractu resiliere permisum est. Quamvis enim in l. 25. §. 3. ff. Locat. dicatur, Colonum villarum curram agere debere, ut eas incorruptas habeat; hoc tamen solum de eo casu intelligi.



gendum, quod Colonus per culpam suam rem conductam corrumpere non debeat. Alias enim nostra assertio expresse fundatur in l. 25. §. 2. ff. cod.

§. II. Quod addit p. 48. Scholasticos posse repetere expensas, quas, ut loquitur, faciunt in domus locatæ melioratione, si licet illæ sunt necessariæ, vel utiles domui, vel domino; secus si voluptuariæ, vel utiles ipsi scholari tantum; hoc iterum juris communis est, nec video, qua ratione ad classem Privilegiorum referri queat, licet Rebuffus hoc notandum esse dicat.

PRIVILEGIUM XIX.

Quod licet regulariter inventa illata tacite pro pensione domino ædium obligata sint; scholarium tamen libri ita non obligantur.

P. 48.

OBSERVATIO.

§. I. Argumentum principale Rebuffi hoc est: Sicut militi arma relinquenda sunt: ita Studiosis libri. Cum præterea non sit verosimile, Studiosum libros suos obligare, voluisse, circa quos magnam habet affectiōnem, in specie ob dictata sub Preceptoribus collecta



collecta & in eis scripta, & quia boni scholastici suos diligunt libros, ut propriam uxorem & amasiam, imò ut corpus proprium. Illustrationis gratia addit p. 49. pauperem, ita diligere porcellum suum, sicut oculum. Limitat interim privilegium Rebnffus, quod non procedat eo casu, quando Scholasticus jam est mortuus, ut scilicet hospes libros tunc pro expensis funeralibus & aliis retinere possit, quia postquam militiam deserit, non est amplius privilegiatus, nec libri instar militis.

§. II. Nos quidem hic diffiteri non possumus, quod multi ex DD. afferant, locatorem in libris Studiosorum tacita hypotheca non gaudere; interim tamen quemadmodum illa ratio Rebuffi apertè erronea est, quod existimet, hypothecam illam tacitam ex præsumta Conductoris voluntate deducendam esse, cum immediatè ex lege fluat & inviti bona etiam obligentur: ita quoque plerique interpretum in eo convenientiunt, libros Studiosorum hodie non minus ac alias res ab ipsis inventas Locatori tacite obligatas esse, Engelbrecht ad ff. Disp. 13. tb. 6. n. 5. Coler. de Proc. execut. P. 2. C. 3. n. 147. seqq. aliquique apud Schöpff. ad tit. ff. quæ res pign.

Struv.



Struv. S. I. C. Ex. 26. tb. 16. ibique Richter & Vinnius. Cessat E. & hoc privilegium.

PVIVILEGIUM XX.

Quod licet Conductor domo locata expelli posse, si ibi meretrices, vel perversos homines, ut Lenones habeat, vel alias inhoneste vivat; hoc tamen fallat in scholariis, qui licet in domum conductam meretrices inducant, non tamen expelli possunt. Pag. 50.

OBSERVATIO.

§. I. Rationem reddit Rebuffus, quia scholares communiter caste non vivunt, Locator autem qualitatem personarum, quæ conductunt ædes, inspicere debet. Declarat tamen privilegium p. 51. quod scholasticus puellas secrete in cubiculum ducere & ibi tenere debeat. Nam, dicit, non posset tunc expelli, quia virgines & puellæ solent in cameris abscondi & in secretis morari & actus venerei clam fieri conservaverunt & maxime cum domina nobili & honeste vivere reputata. Secus ergo, si tempore incongruo



gruo ducerentur, puta in meridie omnibus vicinis videntibus, quia tunc hospes posset illum prohibere ob malum exemplum. Hinc est, addit, quod tempore nocturno scholares solent ducere pueras, quo tempore vagatur adulter.

§. II. Videamus, quid de hoc Privilegio ipse statuat Rebiffus p. 52. Illud tamen, inquit, non est privilegium, sed maleficium, quas ob res ego tales scholares expellerem, cum maximum praeceptum juris sit honeste vivere. Et paulo post: ob id cavendae sunt dictis studiis meretrices, tanquam ignis ardens, illae enim consumunt corpus & animam, & multi propter mulieres interemti sunt. Item: quando vides studentes venereo, valde difficile est eos habere ingenium speculativum, nisi in exorbitantibus, & raro exequuntur literas, praeципue quando sunt Musici. Addit, Eristratum Medicum pulsu cognovisse amantes.

§. III. Quemadmodum E. ipse Rebiffus hoc Privilegium damnat: ita quoque p. 51. venereo Studiosos describit, quod sint plus quam bestiales, & tanquam verres spuman tes ac tauri petulantes fœtore hircino aerem inficientes villam circuant. Sis ergo, monet,



net, homo non bestia, ne te voluptas unius horæ servum faciat corporis tui rei vilissimæ, créde mihi, sicut cupiditas est radix omnium malorum, sic luxuria venenum de singulis peccatis sibi cumulat & trahit & nullum peccatum adeo execat, ut luxuria.

§. IV. Dicit p. 52. Judicem cogere posse dictas meretrices ad portandum signum, ut cognoscantur, utputa ligam, quam vocant aguilletam. Sed lepide subjungit, quod hodie forte non invenirentur tot signa, si omnes vellemus signare, nam ex omni tribu comperies signatas interius, non exterius.

§. V. P. 53. concludit, quod sicut Locatori permisum est, expellere inquilinum propter meretrices inductas: ita quoque inquilino ante tempus conductionis recedere permittatur, si Locator eo invito meretrices alat in ædibus illis, in quibus inquilinus commoratur. Quæ opinio exinde defendi posset, quoniam inquilino per inductionem meretricum in ædes conductas factam non leve præjudicium infertur, male enim audit apud honestos viros, quod in ejusmodi ædibus commoretur & præsumtio contra ipsum oritur, quod vitæ meretriciæ sit deditus.

ditus. Istud est notandum, inquit Rebuffus p. 54. pro Parisiensibus, (fortè etiam pro aliis) quibus quotidie potest hæc quæstiō accidere & sæpius à me fuit petita.

PRIVILEGIUM XXI.

Quod Scholaris invito suo socio potest introducere meretrices in domum locatam & in cubiculum suum, sive cameram. P. 54.

OBSERVATIO.

§. I. Hoc prætensum Privilegium, cuius Autores adducit Balduin & Bolognettum, iterum recte rejicit Rebuffus, quia Privilegium non potest contra præceptum Dei valere. Ex quo decidit etiam sequentem casum: Studiosus quidam alteri mandat, ut meretricem duceret ad suum cubiculum noctu, promittens stare de Præfecto vigiliū & de damno. Ille dicens mulierem fuit in itinere captus, quæritur: an mandans teneatur? Respondetur, quod non, quia mandatum rei illicitæ non obligat, & hinc in maleficiis non potest accedere fidejussor, quæ omnia juris expediti sunt nec allegationibus indigent.

PRIVI-



PRIVILEGIUM XXII.

Quod postquam nobiles genere ex utroque parente studiis incubuerint triennio, alii vero non nobiles quinquennio, poterunt obtinere in Gallia nominationes & cum illis cogere Episcopos iisdem beneficia vacantia in mensibus deputatis graduatis simplicibus & etiam nominatis. P. 56.

OBSERVATIO.

§. I. Primo illud privilegium ad Galliam pertinet. Deinde, & præcipue quidem apud nos, non omnis, qui per triennium literis incubuit, nominationem ad beneficia potest *prætendere*, sed saltem *obtinere*, ut ipse loquitur Rebuffus. Nominatio E. ad beneplacitum nominantium referenda & studium per triennium continuatum est requisitum necessarium personæ nominandæ. Non potest ergo hoc pro privilegio venditari. Tali ratione enim & hoc esset privilegium quod Studiosus, qui literis diligenter incubuit, gradum Doctoratus vel Licentiaturæ

turæ petere queat, aut, quod alius quilibet officium à Principe expetat.

PRIVILEGIUM XXIII.

Quod si scholaris iverit domum ad quærendum pecunias, vel alia iusta de causa statim reversurus, adhuc retineat privilegia studii & illud tempus in quinquennio (vel triennio) suo computetur. P. 58.

OBSERVATIO.

§. I. Non omne momentum exigendum esse, dicit Rebussus, ut Scholaris sit in studio, sed ut mentem & propositum manendi habeat. Et hinc idem esse asserit, si domi moratur tempore otii, seu vacationum, seu belli, aut valetudinis, vel pestis. Item, addit p. 59. etiam illud tempus computandum esse, quô spatiandi gratia exit studiosus, &c.

§. II. Quemadmodum verò ipse Rebussus ex aliis juris materiis similia adducit, v.g. quod non abesse videatur, qui animo citò revertendi recedit: & quod privilegia militibus tributa locum habeant, etiamsi milites justa ex causa cessaverint à militia per annum, & præterea alias notum est, quod

C modi-



modicuna ejusmodi intervallum non atten-
datur: ita quoque intuitu studiosorum in hac
materia privilegium aliquod subesse non e-
xistimamus. Quæ enim ubique locum in-
veniunt, ea pro jure singulari alicujus ordi-
nis venditari nequeunt.

PRIVILEGIUM XXIV.

Quod quando nominati præsen-
tant suas nominationes Prælatis
& Collatoribus, vel ab eis benefi-
cia vacantia requirunt, non de-
bent examinari & si examinaren-
tur, non tenentur prædictis Col-
latoribus respondere.

OBSERVATIO.

§.I. Hujus Privilegii diversas rationes red-
dit Rebuffus. Collator, inquit, si secus age-
ret, injuriam inferret Universitati, in qua est
nominatus scholaris, volendo reprobare per
examen, quod per illam est approbatum, ju-
xta l. sacrilegii. (sine dubio intelligit l. 3.) C. de
crimin. sacril. in qua dicitur, sacrilegii instar
esse, dubitare, an is dignus sit, quem elegit
Imperator.

§.II. Fraudem fieri posse, addit, per Col-
lat-



Iatores, cui obviandum est. Quippe si eis committeretur examinatio, omnes nominatos reprobarent, nisi suos consanguineos & stabularios. Habent enim Episcopi & alii Collatores suos familiares veteris dolii vice fungentes nominatos, quibus conferunt omnia beneficia, & postea illi renunciant, cui vult Episcopus, vel permutant & aliæ immensa fraudes adhibentur.

§. III. E contrario injunctum est Universitatibus, ne promoveant (promovere habent, dicit Rebuffus) non idoneos moribus, scientia & meritis, sub poena suspensionis privilegiorum & alia arbitraria: ideo, concludit, presumitur, quod hoc sit factum & sic Episcopi nihil debent super examinatione vide-re. Non enim verosimile esse autumat, quod Doctores, qui illos graduatos examinaverint, ita affectione turbati fuerint, sicut Episcopi.

§. IV. Nobis circa hanc questionem ad mores locorum respiciendum esse videtur. Neque enim rationes, quas adducit Rebuffus, id præcisè inferunt, quod inferre debebant. Quemadmodum scilicet Episcopi & alii Collatores interdum affectibus suis indulgent, & inidoneis beneficia conferunt: ita quoq;

Cz

Dz



Doctores interdum eodem morbo laborant & alios Doctores creant, id est, ex nihilo producunt, immo interdum etiam alia testimonia eruditionis studiosis concedunt, qui eadem tamen non merentur. Unde in casu simili in nonnullis locis jam introductum, quod ipsi etiam Licentiati, vel Doctores, si quando in numerum Advocatorum recipi volunt, peculiari adhuc examini sese subjecere debeant. Quidni ergo hoc in aliis quoque casibus fieri posset?

PRIVILEGIUM XXV.

Quia Parochiales Ecclesiæ sitæ in civitatibus, vel villis muratis, non debent aliis conferri, quam graduatis, vel scholaribus, qui saltem tricennio studuerint. pag. 62.

OBSERVATIO.

§. I. Sensus Rebuffi videtur esse, quod Ecclesia Parochialis illi præ aliis conferri debat, qui ex illa Parochia est & literis incumbit. In favorem enim Parochianorum introductum fuisse dicit, ut cives habeant peritos, qui eos doceant, cum in dictis civitatibus præsumantur esse capaciores intellectu.

Sed



Sed, addit, hoc est privilegium Gallis scholasticis peculiare. E. ad nos non pertinet, nec ad Privilegia studiosorum in genere.

PRIVILEGIUM XXVI.

Quod si scholaris locaverit fructus sui beneficii per triennium, vel aliud minus tempus & pecunias illius temporis receperit, ut posset in literarum studio vivere, vel illic gradum sumere, si intra hoc tempus decedat, successor in illo beneficio, quamvis nullum jus à prædecessore habeat, tenebitur stare illi locationi.

OBSERVATIO.

§. I. Nota aliàs est regula: quod successor singularis, v. g. emitor, non teneatur stare locatione ab antecessore facta, Rauff gehet vor Miethe/ quod & ita in praxi observatur, quamvis quoad theoriam juris contrarium verius esse videatur, per ea, quæ eruditè deduxit Hermannus Zollius, JCtus Rintelensis in Diff. ad l. 9. C. de Locat. sub tit. Rauff hebt Miethe nicht auf. Sed illa controversia ad



nos in præsenti non pertinet, videamus E.
Saltem de rationibus à Rebuffo in medium
adductis.

§. II. Locatio, inquit, in utilitatem Eccle-
siæ facta esse censetur. Studebat enim Condu-
ctor, ut melius postea Ecclesiæ inservire pos-
set, successor autem tenetur ratam habere
locationem ad ecclesiæ utilitatem factam, &
quia quasi heres defuncti beneficiati vide-
tur & successor in Ecclesia tenetur raticare
benè gesta à Prædecessore.

§. III. Adhæc, pergit, debita contracta pro
alimentis beneficiati sunt solvenda per suc-
cessorem in beneficio, quia pro Ecclesiæ ne-
cessitate censentur contracta, nam Ecclesia
eum alere tenebitur. Imò, Prælatus succe-
sor tenetur ad funeris impensas & infirmita-
tis sui Prædecessoris, quia Ecclesia ad id one-
ris tenetur, cum Prælatus de bonis Ecclesiæ
sit alendus, & quæ sunt similia.

§. IV. Rationes hic quamplurimæ adsunt,
sed tales, quæ semper petunt id, quod in prin-
cipio est. Concedamus, successorem teneri de-
eo, quod ab Antecessore in utilitatem Eccle-
siæ factum est; hoc tamen non quadrat ad
præsentem casum, sed ad illum solummodo,
sì Episcopus, vel Prælatus aliquis in utilita-
tem

tem Episcopatus, Abbatiae, &c. impensas fecit, aut contractum celebravit, quem tunc successor servare tenetur, licet non titulo universali, sed singulari saltem in Episcopatu, vel Abbatia succedat. Confundit E. Rebuffus ea, quæ immediate Ecclesiæ utilitatem respiciunt, & ea, quæ mediatè saltem & per consequentiam, illamq; non semper certam, sed sepe fallibilem. Quo pertinet assertio, quod ea, quæ Scholaris ex suo beneficio percepit, in utilitatem Ecclesiæ impendisse censeatur, quia ob hanc causam studiis incubuit, ut melius postea Ecclesiæ inservire posset.

§. V. Ipse Rebuffus p. 64. assertionem suam limitat, (1) si scholasticus habeat bona temporalia, tunc enim ex illis successori satisfieri debet: (2) quoad præbendæ administratores, qui non possunt successorem obligare, quia sunt instar usufructuariorum seu usuariorum. Quæ tamen ratio, ni fallor, eodem modo ad omnes beneficiatos applicari potest. Illud etiam per se patet, quod addit, studentes discolos & vagos, qui pecuniam ex beneficio acceptam cum scortis consumunt, privilegio gaudere non posse. Quinam autem sint tales discoli & vagi, hoc ex circumstantiis elicere debere judicem, recte afferit.

PRI-



PRIVILEGIUM XXVII.

Quod pinguiora & meliora beneficia habere debeant eruditi, quam alii. P. 64.

OBSERVATIO.

§. I. Rationem Privilegii ex utilitate studiorum desumit Rebuffus. Optimum finem esse dicit, si discamus, ut adficiemus in cœlo, sicut faciunt boni Theologi & Canonistæ, licet Dialectici eò discant, ut sciant, Legistæ & Medici, ut lucentur, sed, addit, qui disce-re, vel agere bona recusat, magis Diaboli, quam Christi membrum ostenditur, & potius infidelis, quam fidelis esse monstratur.

§. II. Illustrat assertionem suam adhuc ex Aristotele, qui interrogatus, in quo different literati ab illiteratis, respondit, sicut equi domiti ab indomitis. Paulò post addit: Et si hoc longo jam tempore mihi persvasum non fuisset, non tantum temporis in his interpretandis juribus consumpsisse cum modico lucro, attamen Deus O. M. horum retribu-tionem in cœlis (ut spero) condonabit.

§. III. Si de usu hujus Privilegii disquirimus, experientia quotidiana commonstrat, minima eruditos habere beneficia, pingvio-ra au-

ra autem communiter obvenire illis, qui exiguam aut nullam Reipubl. utilitatem præstant. Probat hoc raritas stipendiiorum, tenuitas salariorum & quæ sunt ejusdem generis alia. Debebant E. pingviora beneficia habere Eruditi, sed proh dolor! non habent.

PRIVILEGIUM XXIX.

Quod si scholaris habeat beneficium, & ibi dimittat Vicarium, vel substitutum, liberatur ab horis canonicas dicendas, dum tamen officium totum beatæ Mariæ in singulos dies dixerit & septem Psalmos pœnitenciales. P. 66.

OBSERVATIO.

S. I. Hoc privilegium ex opinione Baldi aliorumque similium adducit Rebuffus. Ipse tamen dissentientibus adstipulatur eorumq; sententiam communem & saniorem dicit, quia maledictum est studium, per quod relinquitur divinum officium, subjunctâ allocutione sequenti ad Auditores: *Etsi bene, Auditores dilectissimi, Deo serviatis in horis dicendas, majorem scientiam Deus vobis dabit, quam*

C 5

si



*si continuo omisisis horis studeretis, quamobrem
horas vestras non omittatis meo consilio.*

§. II. Hæc Rebuffus ex hypothesi Pontificiæ Religionis, cui addicctus erat, ita tradit, sibi persuadens Deo acceptum esse, si quis horas sedulo & diligenter dicat, cùm tamen sit cultus merè electitius & propterea, præcipue si ex sola consuetudine fiat, uti sit apud Pontificios Deo minime acceptus. Hodie horæ per Vicarios communiter dicuntur, quamvis hoc non sit privilegium propriæ dictum, sed ex principio vulgato profiscatur: Unum idemque esse, sive quis ipse aliquid faciat, sive per tertium hoc expediat. Quod principium sine absurditate hic applicari potest, postquam recte supposuimus, quod illa horarum canonicarum dictio non sit verus cultus divinus.

PRIVILEGIUM XXIX.

Quod studentes excusantur à residendo, constituendo Vicarium in suis beneficiis. P.68.

OBSERVATIO.

¶ S. I. Quamvis omnes dignitatem Ecclesiasticam, vel curam animarum annexam habentes, ut sunt Decanatus, Pastoratus, per se



se ipsos & non per Vicarios officium facere debeant; Veruntamen contrarium ferè paſſim consuetudine obtinuit, ut in beneficiis simplicibus non cogatur Clericus residere personaliter, sed per Vicarium obire ministerium suum posit, v. Diefeli *Erotem. jur. Canon. l. 3. tit. 4. qu. 1.* Est E. hoc privilegium non solum Studioſorum, sed beneficiatorum & clericorum in genere.

PRIVILEGIUM XXX.

Quod Studioſi pro literis de non residendo, singulis annis aureum Episcopo solvi solitum, solvere non teneantur. P. 69.

OBSERVATIO.

§. I. Ratio Rebuffi est, quia ab omnibus exempti sunt oneribus, E. & à solutione & ab hac indebita exactione, & hoc, addit, ob reverentiam studiorum introductum esse credo. Nos potius hanc rationem subesse existimamus, quoniam per deducta ad Privilegium præcedens obtinuit, ut in beneficiis simplicibus nullus Clericus personaliter residere teneatur. Quæ E. juris recepti sunt, ea ab Episcopi arbitrio non dependent,

dent, nec etiam ut pretio nummario comparentur, opus est.

PRIVILEGIUM XXXI.

Quod quamvis studentes non residēant in beneficiis, sed in studiis generalibus, tamen percipere possunt fructus beneficiorum suorum, ac si residerent. P. 70.

OBSERVATIO.

§. I. Fluit hoc ex Privilegio XXIX, tanquam necessarium consequens. Et adducit Desselius d. l. 3. tit. 4. qu. 3. & 5. quod in casu ejusmodi laudabilis absentia absens non solum distributiones quotidianas, sed etiam grossos fructus (qui vel annuatim, vel singulis semestribus, vel alia anni parte juxta Ecclesiæ cuiusvis consuetudinem præstari solent) percipiat. Alias enim dispositio sub d. Priv. XXIX. adducta in effectu inutilis esset, vid. Rebuff. p. 73. qui revera non dissentit.

§. II. Subnectendæ interim sunt quædam declarationes & restrictiones. Absens facultatem abeundi à Prælato suo impetrare debet. Requiritur, ut literis diligenter in-

cum-



cumbat: ut scientiam licitam addiscat: ut honeste vivat: ut commoretur in loco privilegiato. Et denique assertio solum procedit in fructibus futuris, præteritos enim non lucratur, nisi quatenus percepit, p. 72. Quamvis hæc quadantenus obscura esse videantur. Nam hoc quidem certum est, quod absens præteritos fructus non percipiat ideo, quia absens est, sed non video, quare illos non ex hoc capite prætendere possum, quia tunc præsens fuit?

§. III. Illud etiam non percipio, quando d. p. 72. dicit, non valere statutum in contrarium, etiamsi ab ipso Papa esset approbatum. Licet enim largiar, quod in dubio non tollantur jura singularia per Leges generales posteriores; illud tamen tantiū saltem procedit, quamdiu res dubia est. At si expresse Privilegia abrogentur, tunc sane non video causam, quare hoc fieri nequeat. Nihil enim adest, quod cum dispositione juris naturalis & divini positivi, seu revelati pugnet. Interim si à Canonicis quid fieret in fraudem legis, (de quo casu loquitur p. 74.) hoc sine dubio non valeret, quia Canonicis potestas derogandi Legibus non competit. *Quod est notandum, dicit Rebuc.*



46 PRIVILEGIUM XXXII. & XXXIII.

Rebuffus, contra Canonicos leves scientia, qui
semper conantur resistere doctis & discentibus,
ut ipsi sint iis similes, idem in monasteriis Mo-
nachorum invenies.

PRIVILEGIUM XXXII.

Quod si Statuto Ecclesiæ cavea-
tur, quod præsens tantum ha-
beat jus optandi, scholaftici ta-
men dum student, habebunt il-
lud jus optandi, licet sint in uni-
versitate & non præsentes in Ec-
clesia; quia fieri censentur præ-
sentes. P. 74.

PRIVILEGIUM XXXIII.

Quod licet quis videatur in frau-
dem se absentare, quando in lo-
co aliquo residere tenetur, hoc
tamen limita in scholaribus, qui
se absentant forte à Patria favore
studii, tunc non potest aliquis
agere contra illos, tanquam se in
fraudem absentantes. P. 74.

OBSER-



OBSERVATIO.

§. I. Cum hæc duo nihil aliud sint, quam conclusiones ex Privilegio XXIX. ideo etiam, ut plura addamus, opus non erit, sed consuli ea poterunt, quæ ad cit. Privileg. diximus.

PRIVILEGIUM XXXIV.

Quamvis studens in locis non privilegiatis non debeat gaudere privilegiis scholarium; fallit tamen in scholasticis a studio recentibus, ut melius stuperent, nam tunc etiam privilegiis studii gaudere debent. P. 75.

OBSERVATIO.

§. I. Ego ipse, inquit Rebusius, in lapidicina quadam perlegi Speculat. (puto Speculatorum, i. e. Durandum) & alia multa tempore pestis & ibi tanquam sylvestris homo habitavi, ac abundanter studui, nam eadem ratio utilitatis publicæ in eo versatur, quæ in illo, qui in Universitate studet, ergo idem privilegium concedetur. Quod est verum addit, in his, qui sunt note autoritatis & quos verisimile est melius studere & pro-



& proficere ruri, quam in studii loco, utputa, quia jam audiverat cursus suos & volebat repetere lectiones jam auditas, tunc etiam ultra sex menses gaudebit privilegiis aliorum, alias secus, ut extat ordinatio Regia in hoc regno.

§. II. De Regno Galliae E, res est expedita, si fidem Rebuffo habemus. Extra Galliam autem de eo Privilegio dubitare licet, præsertim cum Studiosus lectiones suas æque commode in eo loco, ubi residere debet ac privilegiis gaudet, quam in lapidicina, aut alibi repetere queat.

PRIVILEGIUM xxxv.

Quod quamvis scholaris semel in albo aliorum, seu in matricula descriptus, si se absentaverit per quinquennium, perdat privilegium matriculæ, quia non censetur revertendi habere animum, quando tamdiu abest; tamen si post quinquennium revertatur & velit iterum describi in dicta matricula, non tenebitur solve re quicquam pro ea. P. 75.

OBSE-



OBSERVATIO.

§. I. Hic nondum expeditum est, quod Studiosus propter absentiam quinque annorum privilegium matriculæ amittat, argumentum enim, quod Rebiffus ex *I. 2. C. de primicer. & secundicer.* à Tribunis sive Notariis Romanorum desumit, contra regulam vulgatam impingit: *jura singularia, præcipue pœnalia, de casu ad casum non esse extenda*, unde nobis deficientibus aliis Legibus Statutariis verius videtur, Studiosum privilegium matriculæ non amittere, licet per plures, quam quinque annos absit. Ergo etiam non est opus, ut disputemus, an rursus in matricula describi & utrum pro hac descriptione (quæ non requiritur,) aliquid solvere debeat.

§. II. Huc inclinat ipse Rebiffus *p. 76.* Quando dicit, quod licet in Regno Galliæ per Ordinationes Regias statuatur, scholasticum non debere gaudere privilegiis, si à studio per sex menses absens sit; nihilominus tamen de consuetudine servetur, ut quando scholasticus revertitur ad studium post longam absentiam, non teneatur iterum, ut Matriculæ se inscribat, vel ut Rectori juret, si jam semel illi juraverit. Limitat quidem

D

hanc



hanc assertionem, si scilicet *Studioſus* antea *Rectori* sub nomine dignitatis (i. e. tanquam *Rectori*) juraverit, unde secus esse dicit, si hoc sub nomine proprio factum; sed non puto, quod unquam aliquis *Rectori* sub nomine proprio (i. e. tanquam privato) juraverit, omne enim juramentum *Rectori*, quā tali, præstatur.

PRIVILEGIUM XXXVI.

Quod quamvis habens beneficium curatum teneatur intra annum ad sacrum presbyteriatus ordinem promoveri, episcopus tamen favore studii cum Studenteribus usq; ad septem annos dispensare potest & debet. P. 76.

OBSERVATIO.

§. I. Ante omnia constare debet, quid per beneficium curatum intelligatur. Sumitur illud vel *strictè*, pro potestate ligandi & solvendi in foro pœnitentiali, quæ est ars artium & regimen animarum; vel *late* pro potestate fori contentiosi, qualis est potestas excommunicandi, absolvendi, visitandi,

di, ceteraque similia faciendi, quæ ad morum correctionem pertinent. Regulariter tamen DD. quando de beneficiis Curatis loquuntur, priorem acceptionem eamque strictam innuere solent, & proinde etiam Rebuffum eandem in mente habuisse existimamus, vid. de hac materia Desselii *Erotet. jur. canon. lib. 3. tit. 5. qv. 6.*

§. II. Ceterum, quæ hic adducit Rebuffus, in c. 34. *de electione. in 6.* fundata sunt, cum hac tamen limitatione, quod is, qui beneficium habet, intra annum ad minimum ad ordinem subdiaconatus promoveri debeat, alioqui enim fructus Ecclesiæ longo tempore consumere, postea vero Ecclesiam relinquere posset cum maximo Ecclesiæ damno. Sed, addit Rebuffus, qui sine causa eam relinquent, citò moriuntur, nec vitam prosperam agunt, ut saepius vidi & de multis.

§. III. Declarat suam sententiam variis modis. Requirit scilicet, ut habilis sit ad studia, qui petit Dispensationem, & deinde, ut studeat in studio generali, (puto, in Academia) secus ergo, si in castris. Requirit porro, ut dispensatio expresse ad hunc casum directa sit. Ergo, dicit, si minor se-

D 2

ptem



ptem annis dispensatus fuit ad suscipiendam tonsuram, eidem non poterit simplex beneficium conferri, quia dispensatus ad ordines non videtur dispensatus ad beneficia. Dispensatio enim, quæ instar exceptionis est, firmat regulam in casibus non exceptis. Addit denique, quod ejusmodi dispensatio peculiarem suum effectum habere debeat. Si E. habenti viginti annos per Papam fuerit dispensatum, ut non teneatur promoveri ante viginti quinque annos, si postea Episcopus dispenseat favore studii, dispensatio Episcopi non curret ante tempus dispensationis Papæ finitum.

PRIVILEGIUM XXXVII.

Quod postquam Episcopus cum scholasticis dispensationem pensaverit, non potest eam revocare iterum. P. 78.

OBSERVATIO.

§. I. Quia illusio & variatio est reprobata, in Episcopo maxime, seu, quia alias revera non frueretur dispensatione, quâ tamen ex dispositione c. 34. de elect. in 6. frui debebat Scholastic⁹. Ampliat assertū, quod dispensatio etiam

etiam post mortem dispensantis duret &
proinde ejus successor eam revocare ne-
queat.

§. II. Limitat illud in casu, si causa evidens contrarium suaderet, utpote quia Ecclesia carebat ministris & diminuebatur cultus divinus, vel literis prædicti deficiebant, per quos causæ Ecclesiarum expediri debebant: item, quando scholasticus nil studeret, sed vagaretur per civitatem insanorum more, quod tamen probandum est.

PRIVILEGIUM XXXVIII.

Quod Archiepiscopus, vel Episcopus dispensando cum dictis scholaribus studii causa non debet aliquid ab iis exigere, vel accipere, alias quasi simoniam committit.

P. 80.

OBSERVATIO.

*S. I. In c. i. quidem, immo in t. t. X. de
Magistris & ne aliquid exigatur pro licentia
docendi, disponitur, quod pro licentia docen-
di nihil exigi, aut promitti, & si quid ex-
actum, aut promissum, illud restitui & remit-
ti debeat; sed nescio, an illa dispositio ad*

D 3 præ-

præsentem calum quadret, ubi de licentia docendi plane non agitur. Imo hodie in Academiis ubique ferè invaluit, quod nec in Theologica, nec aliis Facultatibus aliquis ad docendum admittatur, nisi antea certam pecunia summam persolverit, quod pro crimine simoniae vix haberi poterit. Non enim ipsa dona spiritualia venduntur, (quale quid intendebat Simon *Actor. c. 8. v. 18.*) sed facultas publicè docendi saltem conceditur. Imò Superintendentes nostri pro ipsa ordinatione ad ministerium sacram pecuniam accipiunt, quos tamen nemo propterea criminis simoniae accusat.

§. II. Quamvis E. eos peccare rectè asserat Rebuffus, qui pro pecunia accepta ferias Auditoribus suis concedunt, aut qui ex eadem causa intuitu illiteratorum dispensant; minus rectè tamen exinde infert, E. ille etiam peccat & simoniam committit, qui à diligente & literis dedito pro dispensatione pecuniam accipit; Alias enim nec à diligentibus Auditoribus pro labore docendi honorarium accipere liceret, quod tamen concedit Rebuffus.

§. III. Denique & illud addendum: Si in hoc & præcedentibus aliiquid Privilegii subest,

est, illud non ad Studiosos in genere, sed ad eos solum pertinet, qui Theologiæ incumbunt.

PVIVILEGIUM XXXIX.

Quod Papa facilius dispensat cum Studentibus & literatis, quam cum aliis. P. 80.

OBSERVATIO.

§. I. Multa hic de utilitate studiorum, congesit Rebuffus. Plus, inquit, prodest unus bonus literatus decem Ecclesiis, quam decem illiterati uni, & melius regulariter, quam nobilis & potens. Hinc est, addit, quod pro literato præsumitur, quod non ita vincatur malis affectibus, sicut illiteratus: Literatura enim dignitati æquipollit, quia scientia informat intellectum, sicut anima corpus, unde juxta Ciceronem *l. i. officior.* inter hominem illiteratum & statuam mar moream nihil quasi interesse videtur & prorsus ignari vix possunt homines vocari, sed imagines hominum. Imò, addit, illiteratus est magis de jure odiosus, quam homicida, cum collatio facta illiterato non valeat, bene autem si homicidæ, (sed subjungit, donec annuletur.)

D 4

§. II.



§. II. Præcipuum fundamentum, ad quod provocat Rebuffus, est in c. de multa. 28. X. de Prebend. ubi dicit Papa Innocentius III. quod habens beneficium curatum, si adhuc aliud receperit, primum amittat, addens tamen, circa sublimes & literatas personas, quæ majoribus beneficiis sunt honorandæ, cum ratio postulaverit, per sedem Apostolicam dispensari posse. Liberum E. sine dubio est Papæ, ut possit dispensare, sed an ad hoc cogatur, alia est quæstio, quæ non facile affirmari poterit. Sic in simili Princeps facilius personas jure humano statutas delinquentibus, qui benè de Rep. meriti sunt, remittit, quam aliis, & ut hoc faciat, implorari potest; sed non cogitur, ut præcisè petitio adnuat. Hoc E. privilegii nomine salutari vix potest.

PRIVILEGIUM XL.

Quod Scholares postquam sunt graduati, etiam Baccalaurei, possunt habere dispensationem ad quatuor beneficia, alii vero non, nisi fuerint magni nobiles. Pag. 82.

OBSER-



OBSERVATIO.

§. I. Postquam hoc Privilegium ita enarravit Rebussus, ipse subjungit p. 83. *Ista tamen prærogativa, seu Privilegium, hodie non servatur.* Potuisset ergo illud omitti. Interim tamen cum multa observatu digna contra clericos ambitiosos et avaros hic attulerit Autor, quamvis paululum obscurè, ea excerpere lubet.

§. II. Audi, inquit, quid dicat Bernhardus in Epist. ad Henric. Senan. Archiep. missa: sunt nonnulli, cum præsident urbibus valde etiam populosis, satagunt civitates, quatenus duæ, quibus duo vix Præfules sufficiebant, sub uno redigantur antistite, rogo, quæ tam odiosa præsumtio? quis hic tantus dominandi ardor super terram? & tam effrenis cupiditas? cur hoc? sed forte, ut plures populos salves, sed in alienam messem tuam mittere falcem injuriosum est, ecclesiarum sponso non placet unius incrementum, quod alterius detrimentum sit, crudelis ambitio hæc & incredibilis, si fidem oculi non obstruerent. Terrifica comminatio, vœ! qui conjungitis domum ad domum & agrum, agro copulatis, nunquam in his duntaxat exiguis istud metuendum est, non autem

D 5

cum



cum urbes urbibus, civitates civitatibus, provinciæ provinciis, episcopatus episcopatibus, abbatiæ abbatiis, prioratus prioratibus, dignitates dignitatibus, Prælaturæ Prælaturis connectuntur, copulantur, ab eodemque hujusmodi dispensationibus mediantibus tenentur, possidentur & retinentur. Hujus rei gratia non pigritantur crebro terere Apostolorum limina, ut ibi, quod magis dolendum est, inveniantur, qui suæ faveant improbae voluntati, non quod Romani valde current, quô fine res terminentur, sed quia munera diligunt, sequuntur retributiones. Ascendat igitur superbia tua, semper sequere Regem tuum Luciferum, scilicet ambitionis patrem & superbiam. Festina multiplicare præbendas, deinde ad Archidiaconatus eyola & Decanatus, demum adspira ad Episcopatum, nec ibidem requiem habiturus, quoniam sic itur ad astram & ab altiori gradu sit casus gravior, neque enim paulatim decides, sed in impetu vehementi dejicieris, &c.

PRIVILEGIUM XLI.

Quodsi Episcopus studii causa concedat

cedat in annos singulos quin-
quaginta libras scholari , quo-
usque beneficium habuerit æquè
bonum , si ille durante tempore
Studii obtainuerit beneficium re-
sidentiam requirens , sine qua ni-
hil posset habere tunc & quin-
quaginta libras ab Episcopo , &
beneficium habebit . p.84.

OBSERVATIO.

§. I. Concessio Episcopi facta erat in eum
casum : quo usque studens beneficium habuerit
æquè bonum ; Quæritur E. annon illud bene-
ficium postea adeptum sit æque bonum ?
supponendum hic est ex verbis Autoris : re-
sidentiam requirens , quod tale beneficium
Studioſo collatum fuerit , ex quo fructus
percipere non possit , nisi ſideat . Ergo si
non rēſidet , ſed in Academia commoratur ,
fructus etiam non percipit , & ſic benefici-
um non eſt æquè bonum . Hoc ex regulis
interpretandi deducitur & ad alios etiam ,
qui non ſunt literati , applicari potest . Ce-
terum , ſi Studioſus fructus perciperet ex be-
neſicio , licet non rēſideat , (quod commu-
niter



niter fieri afferuit ipse Autor supra) tunc Episcopus ad ulteriore solutionem non obstringeretur.

PRIVILEGIUM XLII.

Quod Episcopus cum majori parte Capituli potest statuere, ut quilibet Canonicus de suis præbendis quotannis contribuat certam summam in alicujus scholaris pauperis docilis & non vagi subsidium in studio existentis, etiamsi minor pars contradicat.

P. 85.

OBSERVATIO.

§. I. Declarat hanc assertionem Rebuffus, quod procedat in fructibus & bonis, que ab Ecclesia accipiunt Canonici, & secus esse dicit in bonis propriis & patrimonialibus, in quibus inviti gravari non possunt. Probationis loco alias adducit c. fin. X. de his, que sunt à maj. part. capit. in quo disponitur, quod consentiente majori parte Capituli quilibet Canonorum ad restaurandam fabricam Rothomagensis Ecclesiae aliquam redditum surorum

orum portionem deputare debeat, addita ratione, quod hoc sit pium & necessarium opus. Unde etiam dispositio capituli generaliter ad omnes pios usus & casus necessitatis referenda esse videtur.

PRIVILEGIUM XLIII.

Quod scientia de paupere divitem faciat. P. 85.

OBSERVATIO.

§. I. Provocat hic ad Nov. 1. in fin. ubi Imperator de Lege Falcidia loquens dicit: *Legem non permittere, ut quis in paupertate vivat, vel in anxietate moriatur*, quod ille de Legibus in genere intelligit. Subjungit vericulos:

*Dat Galenus opes & sanctio justiniana,
ex aliis paleas, ex ipsis collige grana.*

Liber, inquit, est templum justitiae, lumen cordis & speculum corporis, virtutum repertorium, vitiorum confusorium, corona prudentum, diadema sapientum, honorificentia Doctorum, clarificantia Rectorum, comes itineris, (ergo, addit, Studiosus in itinere debet portare libros,) domesticus fidelis, Socius colloquentis, Collega praesidentis,



dentis, vas plenum sapientiae, via recta eloquentiae, hortus plenus fructibus, pratum fluens floribus, mare sine fluctibus, principium intelligentiae, fundamentum memorizae, hostis oblivionis, amicus recordationis, &c.

§. II. Quantum interim ad usum hujus privilegii attinet, Rebuffus de eo ita sentit: Hodie, inquit, in Regno (Galliae,) ut quidam jactant, majora lucra percipiunt artifices, quam aliqui juris periti, dicentes, quod nisi quis sit adulator & de mundo, mundi opes non habebit. Sed, addit, bonis pauperibus speranda est saltem merces in alio seculo, cum in hoc seculo esuriant. Ergo hoc privilegium pertinet ad aureum seculum futurum.

PRIVILEGIUM XLIV.

Quod scholaribus effectis viris literatis multi inservient. P. 86.

OBSERVATIO.

§. I. Provocat Rebuffus ad loca diversa S. Scripturæ v. g. Eccles. 10. servo sensato liberi servient & vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus & inscius non honos rabi-

rabitur: *Proverb.* 17. servus sapiens dominabitur filiis stultis & inter fratres dividet hereditatem: *Daniel. cap. 17.* Fulgebunt, qui docti sunt quasi splendor firmamenti & qui ad justitiam erudiant multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates, & quæ sunt ejusdem generis alia.

§. II. Nobis hic iterum videtur, quod Rebuffus privilegia hujus & futuri seculi confuderit. In hoc enim seculo plerumque obtinet effatum Pauli de Citadinis, adductum à Rebocco, quod hodie literati pauperes algent, etiam in æstate, & diabolici divites & Magnates literatos bonos odio habent, & dum eos intuentur, timent & vellent eos morti tradere instar Herodis.

PRIVILEGIUM XLV.

Quod scholares post adeptam scientiam possunt dici & intelligi nobiles scientia. P. 87.

OBSERVATIO.

§. I. Ratio Rebotti est, quia in l. 2. §. f. ff. de *Excus. Tut.* Ulpianus *nobilis* vocatur, cui addi potest l. 4. §. 1. in f. ff. eod. ubi idem Ulpianus *nobilissimus* appellatur in superlativo.

Sub-



Subjungit Rebuffus ex *gloss. in l. providendum.*
C. de postul. quod scientia homines nobilitet,
 non solum exterius, sed etiam interius, imo,
 quod non solum nobilitatem tribuat scien-
 tia, sed etiam immortalitatem, &c. unde
 JCtos veteres *juris semideos* vocat, qui in
juris explanatione tot noctes insomnes du-
 xerunt, ut nos à tenebris ignorantiae libera-
 rent: & de nobilitate genere disputare de
 nobilitate stercoris disputare esse dicit, si
 nobilitas non sit juncta virtuti & probitati,
 &c.

§. II. Nota alias inter DD. est controver-
 sia: *Utrum is, qui Doctoris titulo condecoratus*
est, eō ipsō nobilis fiat? ubi quidem nonnul-
 li quæstionem simpliciter adfirmant, moti
 per textum in *Ref. Polit. de Anno 1548.* von un-
 ordentlicher Rößlichkeit der Kleidung / §.
 desgleichen / it. de An. 1577. von Doctoren/
 in quo Doctoribus eorumque uxoribus li-
 bertas generaliter conceditur circa vesti-
 menta, ut scilicet talibus uti possint, so ih-
 rem Stande und Freyheit gemäß. Cum
 ergo in *R. I. de A. 1500. tit. 22. §. 6.* Doctores
 Equitibus comparentur, idem vestitus ipsis
 competit, qui Equitibus. Unde in *d. Rec.*
de A. 1500. tit. 12. von Überflüßigkeit der Klei-
 der

der §. s. seqq. dicitur, die von Adel/ so nicht Ritter/ oder Doctores sind/ sollen kein Gold öffentlich tragen/ so sie aber Ritter/ oder Doctores sind/ mögen sie Wämser von guldnen stückn tragen. Possunt etiam sine speciali Imperatoris permisso insignia Nobilium Wappen mit offenem Helm portare, in Cathedralibus quibusdam Ecclesiis pariter cum Nobilibus ad Canonicatus admittuntur, Limnæus de jur. publ. l. 8. c. 8. n. no. &, prout ex Menochio addit Schwederus introd. in jus publ. Part. spec. Sect. i. Cap. s. §. 15. coram Judice non stare tenentur, sed sedere possunt, nec testimonii perhibendi, aut juramenti præstandi causa ad judicem pervenire compelluntur, sed in propriis ædibus coram Deputato jurant, quod fundatum esse putant in l. 15. ff. de jurejur.

§. III. Rectius interim alii & cum illis ipse Schwederus loc. cit. distingvere videtur inter statum nobilitatis & dignitatem, seu, inter nobilitatem personalem atque realem. Priorem adscribunt Doctoribus, non autem posteriorem, add. Lansius de Academ. p. 86. seqq. Et ad priorem pertinent ea, quæ in §. præc. adducta, ad posteriorem vero referunt præcedentia, facultas acquirendi feuda

E

in



etiam habebit salarium, licet nil
de præsenti labore. P.89.

OBSERVATIO.

§.I: Idem esse dicit Rebuffus in Advoca-
to & in Medico ex tempore infirmum cu-
rante, ne sit deterioris conditionis peritus,
qui non indiget revolutione librorum in a-
liquibus casibus, quam imperitus, qui in o-
mnibus indiget. Nos hic distinguendum
esse putamus: Aut ejusmodi homines ha-
bent certum salarium annum, aut non ha-
bent. Priori casu ipsis salarium denegari
non poterit, si prompti sint ad inservien-
dum aliis, sed nemo se offerat, cui inservi-
re queant; posteriori autem casu Privilegi-
um ipsis non multum proderit, cum nemo
cogi possit, ut invitus iis aliquid submini-
stret, quamvis æquitas hoc suggerat. Di-
stingendum enim hic est jus imperfectum à
perfecto.

PRIVILEGIUM XLVII.

Quod licet Judex cogere possit
mendicantes validos, ut laborent
& operentur; fallit tamen in stu-

E 2 den-



in multis provinciis, & similia, quæ Doctoribus jure tribui nequeunt.

§. IV. Imo, quantum ad priorem etiam attinet, hodie, ubi luxus adeo excrevit, alii illiterati, aut literati quidem, sed gradu Doctoris non condecorati, ratione vestitus a Doctoribus vix distingvuntur. Admissio ad Canonicatus in *quibusdam* Ecclesiis cathedralibus non est privilegium generale, sed ad *quædam* loca solum restringendum. In multis judiciis Advocati, qui non sunt Doctores, coram Judice sedent. Ut adeo pauca singularia Doctoribus remaneant, nostro præsertim tempore, quo tot indigni ad gradum Doctoratus admittuntur. Denique hoc privilegium, si quod subest, non est Studiosorum, sed Doctorum.

PRIVILEGIUM XLVI.

Quod quamvis qui non laborat, non debeat manducare, nec aliquid habere; fallit tamen in Doctor, scholastico perito, qui quæstioni propositæ respondet sine revolutione librorum, nam etiam

dentibus, quibus non potest imperari, ne studio deserto ad aliud opus se conferant. P. 90.

OBSERVATIO.

§. I. Studiosi, quamdiu studiis diligenter incumbunt, aut alias se sustentare possunt, ut non opus habeant, aliorum fores pulsare, tamdiu non pertinent ad mendicantes validos, de quibus *in tit. C. de mendicant. valid. lib. II.* Immerito ergo ab illis ratio dubitandi desumitur. Quod si vero inutilia terræ pondera deinde evadant, quis dubitet, eos omnibus Privilegiis indignos censendos esse? Quemadmodum & illud dubio non caret, quod dicit Rebiffus, Studiosos ne quidem in casu extremæ necessitatis cogi posse, ut aliquid pro utilitate publica suscipiant. Aliquando, inquit, Tholosæ audivi proclamari, ut quilibet teneatur laborare ad extingvendum ignem, & ad ferendam aquam, dixi, non comprehendi scholasticos, quod est notandum. Ita sane est, quando alii adhuc adsunt. In defectu autem aliorum & sic in extrema necessitate omnia privilegia cessant. Unde sæpe, quando urbs obsidione cincta, Studiosi etiam ad portanda arma adiguntur.

PRIVI-



PRIVILEGIUM XLVIII.

Quod si aliqua pertinent simul ad sapientes homines studii, simul ad universitatem scholarium, & discordant in eligendo, utpote, quia unum eligunt sapientes, alium elit universitas, si pares sint virtute isti, qui eligunt, deferendum est scholaribus P. 90.

OBSERVATIO.

§. I. Per *Sapientes* intelligit Rebuffus, qui habent plenum animi judicium & discretionem sine scientia, sed *Scholasticos* utrumque habere dicit, discretionem scilicet, & deinde quoque scientiam. Addit: hoc facere contra Mercatores Montispeßulani, qui volunt ex suo sensu naturali studentibus, imò Licentiatis & Doctoribus præferri, arbitrantes & prælumentes ex eorum elatione, se melius posse civitatem regere in consulatu, quam literis prædicti, &c.

§. II. Obiter quoque observat p. 91. quod *Sapientia* tripliciter capiatur, (1) pro *habitu infuso* ex inspiratione divina spirituali & gratiosa, quam sapientiam Davidem amplexum

E 3

esse



esse dicit ex Hieronymo P. 3. Epist. 7. quia 2. Reg. cap. 1. legitur, cum non posset calefieri David, dederunt Sunamitem, id est, sapientiam, quæ eum calefecit. (2) pro virtute intellectiva & speculativa secundum Peripateticos, & (3) pro collectione omnium virtutum moralium & intellectualium, secundum doctrinam Stoicorum.

§. III. Quod ad ipsum privilegium attinet, nescio certè, an illud usum habere possit. Dicit Rebuffus, Scholarium electionem præferendam esse, si pares sint virtute isti, qui eligunt; at quis hoc dijudicabit? Maxima sine dubio controversia exinde nasceretur. Et cum Rebuffus reliquis etiam sapientibus, qui extra Universitatem sunt, plenum animi judicium & discretionem tribuat; hinc puto, quod hoc etiam casu similipli- citer ad majora vota respiciendum sit. Scientia sane, seu speculatio intellectiva, hic pa- rum proderit.

PRIVILEGIUM XLIX.

Scholaribus post consummatum studium debet committi Respu- blica gubernanda. P. 93.

OBSER-



OBSERVATIO.

§. I. Provocat ad §. fin. Proæm. 7. ubi monentur Studiosi, ut summa ope & alacri studio Leges accipient, & sic eruditos se ostendant, ut spes pulcherrima eos foveat, toto legitimo opere perfecto, posse etiam Remp. in partibns ejus iisdem credendis gubernari. Spes E. est, non necessitas.

§. II. De Uso sic differit Rebuffus p. 94. sed quid vacamus in meritis virtutum? hodie nihil sibi gravitas, nihil industria vindicat, torum auri profanus amor obtinet, hodie honor vitia remunerat & in locum ultoris, seu Judicis is, qui fuerat puniendus, rejicitur. Ita quidem saepe est, sed tamen non omnem culpam in Principes rejiciendam esse censemus. Ipsi sic dicti Eruditi in culpa saepe sunt, quo minus ad Reip. clavum admoveantur. Deficit saepe eruditio solida, ejusque locum occupat superficiaria illa & speculativa Peripatetica. Dicunt quidem: Tunc beatas fore Respublicas, si aut Philosophi imperarent, aut imperantes philosopharentur: sed an hoc ad nostros Philosophos applicari possit, hoc aliis dijudicandum relinquimus.



PRIVILEGIUM L.

Quod Scholaris doctus debeat
præferri Doctori indocto. P. 94.

OBSERVATIO.

§. I. Istam regulam: quod graduati non
graduatis præferendi sint, intelligendam esse
dicit Autor p. 95. de idoneis graduatis, secus
de inhabilibus & asinis comatis, addens,
quod Doctor, qui facit secum intrare famu-
los, est infamis, quando scilicet eos facit
intrare, ut eum audiant, quia non habebat
Scholares, secus, si ob malitiam aliquam.
Auditores eum deseruerint, quod Tholosæ
sæpius factum esse & se vidisse testatur. In-
terim ad probandam scientiam illius Scho-
laris contra Doctorem quindecim testes re-
quiri dicit per l. unicuique C. de proximis fa-
cror. scribentior. lib. 12.

§. II. Moraliter verum esse, quod asserit
Rebuffus, libenter fatemur, sed non juri-
cè. Unde & ipse dicit p. 96. hoc non pro-
cedere, quando pro forma requireretur
gradus, ut in nominatis, & in beneficiis Ci-
vitatum & villarum muratarum, nam tunc
quantumcunque doctus sit scholasticus, non
præ-



præferetur graduato. Principi sane hic manus liberæ sunt, sed non Judici inferiori.

PRIVILEGIUM LI.

Licet donare sit perdere; tamen scholaris dando doctrinam nihil perdit, immo doctior efficitur. P.

96.

OBSERVATIO.

§. I. Ratio, quia omne artificium per exercitum incrementum recipit. Nam intellectualia erogantur & erogans nihil perdit, secus in corporalibus, spiritualia enim transferuntur & non perduntur, sicut sol dat lumen. Adducit versus vulgatos:

*Discere si queris, doceas, sic ipse doceris,
Nam studio tali tibi proficis atq; sodali.*

§. II. Donare ergo est perdere, quando rem in alium transferimus & sic patrimonium nostrum diminuitur. Atqui docentes nihil transferunt in alterum, E. nihil quoq; perdunt. Egregium sane privilegium. Qui nihil dat, ille nihil perdit. Res certissima est & nulla demonstratione indiget.

E 5

PRIVI-



PRIVILEGIUM LII.

Scholaris doctus debet habere maiorem dotem, quam alius Laicus, vel mercator. P.97.

OBSERVATIO.

§. I. Pro qualitate personæ dotem constituantam esse dicit Rebussus. At verò, subsumit, literati communiter habent maiores dotes animi, quam alii, quæ sunt prudētia, iustitia, fortutido, temperantia, unde *Eccles. c.7.* dicitur: trade filiam & grande opus feceris & homini sensato da illam.

§. II. Hodie interim, juxta eundem Rebussum, si pauper est, etiamsi scientiam Bartoli haberet, vix amplam inveniret dotem, quia hodie de scientia ultima fit quæstio & de bonis prima. Addo: quia non omnes literati sunt sensati, aut si sunt, præter illos tamen & alii deprehenduntur, qui virtutibus prædicti sunt. Est E. hoc privilegium sine effectu.

PRIVILEGIUM LIII.

Quod Pater potest compelli ministrare sumptus & expensas filio suo volenti studere. P.97.

OBSE.



OBSERVATIO.

§. I. Privilegium hoc exinde demonstrat, quoniam Pater ad suppeditanda alimenta cogitur, nec non ad dotandas filias, E. multo magis ad sumtus studiorum. Limitat tamen statim p. 98. & 99. (1) ut saltem Pater compelli possit, quoad Grammaticam & ut faciat filium legere & scribere, cum ista disciplina homini sit necessaria, vel ut discat aliquam artem, secus quoad Leges. Ubi notwithstanding, quod sicut rationes Privilegii à Rebocco adductæ nihil probant, ita quoque hæc limitatio illud totum ferè evertat.

§. II. Limitat (2) quando filius studeret, alias si in studio vagaretur, non tenetur Pater illi expensas ministrare: (3) quando filius nulla haberet bona materna, vel alia adventitia & (4) quando pater esset dives & potens ad expensas faciendas, quod ex modo facultatum & numero filiorum arbitrii debet Juxta.

§. III. Nota alias est controversia inter Doctores: an Pater invitus cogi possit, ut filio contra voluntatem Patris studenti sumtus subministret? Alii eam simpliciter affirmant, Glossa, Bartolus, Menochius, Carocius: Alii negant, Donellus, Collegium Argentoratem-



ratense, de quibus omnibus confer Lauterbach. *Comp. jur. ad tit. de SCto Macedoniano circa fin.* Alii denique distingvunt, an filius excellentissimo ingenio præditus sit, ita ut spes sit, eum monstrum eruditionis evanurum esse, an non, & priori casu quæstionem affirmant. Nos simpliciter negantibus accedimus, quia non metuendus defectus eruditorum, licet hic vel ille studia non sequatur & sic Reip. nihil decedet.

PRIVILEGIUM LIV.

Quod in principio anni, vel mensis Pater, vel alias, tenebitur Studioso pro toto mense vel pro quadrante saltem pensionem persolvere. P.99.

OBSERVATIO.

§. I. Provocat ad dispositionem juris de annuis præstationibus, quæ sequenti versui inclusa:

*Annua si debes, tunc inspicies caput anni,
Anno si debes, in fine dederis anni,*
quam propterea hic attendendam esse exigit, cum hospites in principio mensis pro pensione aliquid velint habere & alias scho-

scholaisticos admittere nolint. Movet etiam quæstionem p. 100. an pater liberetur ponendo filium in hospitali? camque negat, quod dubio caret.

§. II. Interim quoad ipsum Privilegium sequens distinctio observanda. Aut sumptus Studiorum præstantur ex ultima Testatoris alicujus voluntate, & tunc verum quidem est, quod dicit Rebuffns, sed est juris communis & ad omnia Legata annua spectat; aut vero Pater ex libera voluntate dictos sumptus præstat, & tunc est in ipsius arbitrio, quando eos filio transmittere velit. Hospites quoque contenti sunt, modo Studiosi ante abitum suum debita sua persolvant.

PRIVILEGIUM LV.

Quod Scholaris non tenetur libros à Patre datos post ejus mortem conferre, licet cum fratribus succedat, sed eos habebit præcipuos.

P. 100.

OBSERVATIO.

§. I. Res expedita est per l. i. §. 15. ff. & l.
f. C. de Collat. & communem DD. consen-
sum



sum, subjiciemus ergo solum ampliationes & Limitationes Rebuffi nostri.

§. II. Ampliat (1) p. 101. ut etiam in pecunia ad emendos libros data procedat: (2) in expensa Doctoratus, v. d. l. i. §. 16. ff. de Collat. (3) tam in scholaribus Laicis, quam Clericis, & (4) sive gradum Doctoratus, aut Licentiaturæ consecutus fuerit, sive non.

§. III. Limitat è contrario, p. 103. (1) si filius tempore mortis patris est pseudo-scholasticus, seu ignarus & vagus, addit tamen, hoc difficillimum esse obtinere contra scholares, cum vix sit aliquis, quin saltem modicum studeat, alias esset pecus Melibœi. (2) quando vehemens est præsumtio, patrem non donasse, utpote si pauper est & multos habet filios, qui nihil, aut parum ex hereditate consequerentur, si scholaris libros haberet præcipuos. (3) quando esset magna inæqualitas inter filios, (quæ tamen limitatio cum præcedente coincidere videtur.) (4) quando Pater libros emerit & non tradiderit, nec filius compleverat studium, & de niq; (5) quando Pater in testamento collationem filio injunxit.

PRIVILEGIUM LVI.
Quod Scholastici non tenentur etiam



iam computare in legitimam libros à Patre illis datos. P. 104.

OBSERVATIO.

§. I. Res iterum expedita est ex DD. consensu, v. Lauterbach. *Comp. jur. ad tit. ff. de inoff. test. circ. fin.* eadem tamen limitationes ferè repetendæ erunt, quas sub præcedente Privilegio habuimus. Interim, ut solet, diversas rationes parum concludentes hic adfert Rebuffus. Cogitavit pater, inquit, quod hic scholaris post studium perfectum erit protectio aliorum & defensio. Item: Plus proderit hic frater fratribus, quam libri valebant, ergo fratres ab eo collationem, vel, ut sibi imputet, petere non debent. Hic forsitan oblitus est Rebuffus vulgariter illius: Fratrum quoq; gratia rara.

PRIVILEGIUM LVII.

Quod licet in aliquibus casibus filius studens libros conferre teneatur, tamen sufficiat, si modo estimationem conferat, & sic libros retinere potest. P. 106.

OBSER-

OBSERVATIO.

§. I. Nam, dicit Rebussus, præjudicium nullum sit fratribus, quando æstimatio iis solvitur librorum per alios æstimatorum, & sic conqueri non possunt, nempe collatio inventa est propter æquitatem. Addit, quod scholaris libros suos charos habere debat, ut proprios oculos, nec debeat eos vendere, vel alienare, nisi urgente & inevitabili necessitate, alias est infamis infamia facti, sicut miles, qui arma alienat, nam capite plecti debet, *i. desertorem. § miles ff. de re milit.*

§. II. Consentimus cum Rebuffo, sufficere, si æstimatio librorum conferatur, quia libri ut plurimum sunt res fungibles, qui semper iterum pretio accepto comparari possunt. E tunc hoc ad jus commune pertinet, non ad Privilegia, & reliquorum nihil interest, *v. l. . §. 12 ff. de collat. Et Usus pract. nostr. Distinct. jurid. d. tit. de Collat. Distinct. ii.*

PRIVILEGIUM LVIII.

Quod si filius fam. scholaris in scho-
lis existens receperit pecuniam
mutuo,

mutuò, etiam patre invito, hoc
mutuum poterit à Patre repeti.

P. 107.

OBSERVATIO.

§. I. Concedi hoc potest, si filius fam. pecuniam acceptam utiliter & sic quasi in rem patris vertit, de hoc enim casu loquitur L. 7.
 §. 12. ff. de SCto Macedon. vel, ut te explicat Rebussus, si pater talem quantitatem subministrare solebat, licet enim Creditor eandem excesserit, utile tamen per inutile non vitiatur. Ista, dicit p. 108. deberent prædicari mercatoribus, ut libenter Scholasticis mutuarent, nam quandoque ob defectum pecuniarum coguntur deserere studium, & ideo est iis utile, quod Pater teneatur, ut facilius pecunias accipiant, &c.

§. II. Limitat assertionem suam (1) si filius aptus est ad studium & actu etiam studet (2) quando facultates patris hoc patiuntur & reliqua ipsius familia. Quod vero iterum subjungit p. 109. Patrem ad solvendum mutuum obstrictum esse, licet filius contra ipsius voluntatem studiis incumbat, hoc jam supra negavimus & adhuc negamus. Atqui, dicit, mercator hoc scire non potuit; sed respondemus, filium tamen Pa-

F

tris



tris conditionem suo facto non posse dete-
riorem reddere. Conveniat E. mercator
filium, qui dolosè ipsum induxit ad submi-
nistrandum mutuum.

PRIVILEGIUM LIX.

Quod si filius fam. scholaris vivo
Patre contraxerit aliquod debi-
tum honestum Studii causa, po-
stea patre mortuo non tenebi-
tur ipse cum aliis fratribus succe-
dens de parte sua totum debi-
tum exolyeré, sed satisfieri de
communi debet, tanquam aës a-
lienum, postquam Pater teneba-
tur & ipsius heredes. P. 109.

OBSERVATIO.

§. I. Textus hac de re est in l. 20. §. 6. 6.
7. ff. fam. bercisc. in l. 1. §. 16. ff. fam. bercisc.
& clarior adhuc in l. 5. C. ad SC. Macedon.
Addit etiam Rebussus p. 110. quod si fratres
post mortem patris in communione reman-
serint, & in societate omnium bonorum,
quod, inquam, & tunc ejusmodi impensa,
si unus ex fratribus literis incubuerit, post
mortem

mortem Patris de communi facta intelligatur. Quæ quidem opinio, quantum nobis constat, ex textu aliquo juris civilis probari nequit, interim tamen ei adstipulantur DD. a Rebuffo citati, nec non Struv. S. I. C. Ex. 37. tb. 29. ibique plures allegati. Sed contra pro dissentientibus, quos similiter adducunt Rebuffus & Struvius, non parum facit, quod frater fratri in dubio nihil donasse præsumatur, cui sententia propterea & nos accedimus.

PRIVILEGIUM LX.

Quod licet donatio inter Patrem & filium in potestate non valeat; tamen donatio facta per Patrem filio suo scholari in potestate sua existenti, etiam sine jureamento, valida sit. P. no.

OBSERVATIO.

S. I. Probare hoc assertum solent arg. l. 1.
C. de Castrensi. pecul. & quia à Peculio castrensi ad quasi castrense ubique in jure vallet consequentia. Limitanda interim ex d. l. erit assertio, si scilicet donatio ad cau-



sam studiorum facta. Sed tunc cum prioribus coincidit.

PRIVILEGIUM LXI.

Quod donationem filio suo studenti factam Pater revocare non potest. P. III.

OBSERVATIO.

§. I. Fluit hoc ex præcedentibus, alias enim donatio non fieret cum effectu. Modo tamen limitatio præcedenti Privilegio subjuncta repetatur. Limitat quoque ipse Rebiffus (1) si filius sit ingratus, & (2) si Pater donando sibi facultatem revocandi reservasset. Notum enim est, quod Pater etiam filium ad collationem sumtuum studiorum obstringere posse.

PRIVILEGIUM LXII.

Quod Pater in bonis à se donatis filio studii gratia, non habebit usumfructum. P. II2.

OBSERVATIO.

§. I. Est & hoc vulgo notum, quod Pater non habeat usumfructum in peculio quasi castrensi, &, prout recte afferit Rebiffus,

fus, quia alias filius ex re donata non posset impensas ad studium necessarias desumere.

PRIVILEGIUM LXIII.

Quainvis donatio inter vivos regulariter revocari non possit, tamen si scholaris donet suo hospiti, vel alteri, rem aliquam animo & proposito discedendi de studio, si non recedat, donacionem illam revocare poterit. Pag.

II3.

OBSERVATIO.

§. I. Rationem reddit Rebuffus, quia tacita conditione, *si scilicet discedat*, censetur donasse scholaris. Ergo, putat, si illa conditio deficit, quod ipsa quoq; donatio deficere debet. Sed sensit simul sibi obstare vulgatum illud: *quod propositum in mente retentum nihil operetur*; ergo statim respondet, regulam illam de eo casu intelligendam esse, quando propositum circa actum erat in persona alterius, quam proponentis, hic autem fuisse in persona proponentis, sive promittentis. Sed hæc explicatio aperte

F 3 falsa



falsa est. Leges enim semper ad personam promittentis respiciunt, non vero ad personam alterius. Ex promittentis enim intentione totum negotium dijudicatur.

§. II. Quoniam itaque hæc responsio non sufficit, hinc aliam adhuc in medium adducit, scilicet, propositum in mente retentum tunc operari, quando est à jure præsumptum, quod præcipue in ultimis voluntatibus fieri solere dicit. Sed resp. nos non versari in casibus ultimarum voluntatum, sed actus inter vivos. Ergo probandum erat, in talibus quoqve actibus proposito in mente retenso aliquem effectum tribui in Legibus, sed hoc factum non est, nec facile fieri poterit. Unde cessat hoc Privilegium.

PRIVILEGIUM LXIV.

Quod Donatio excedens summam quadringentorum aureorum quamvis sine insinuatione non valeat; fallit tamen in donationibus scholaribus factis. P. II. 4.

OBSERVATIO.

§. I. Insinuationem ideo necessariam esse dicit Rebussus ut fraus evitetur; sed illam evitari, addit, quando Studiorum causa donatio

natio fit, ergo cessat causa insinuationis, præcipue cum causa Studiorum ad causas pias pertineat, in quibus insinuationem non requirunt Leges. Posset etiam dici, insinuationem ideo necessariam esse, ut Jūdex videre possit, annon forsitan subsit prodigalitas & annon donatio in personam indignam dirigatur; at vero ejusmodi quid in donatione studiorum causa facta non deprehenditur.

§. II. Interim nec in hac materia DD. inter se conveniunt. Fovent multi thesin ad latram, quorum plures allegat Rebuffus, & alios etiam Hahn ad IV. Wesenbec. tit. de donat. num. 6. verb. nam in aliis quoque, & eandem de jure Pontificio intuitu omnium piarum causarum veram esse fatentur plerique; ast inter Protestantes illam non facile recipiendam putat Hahn loc. cit. cum jus civile solum de redemtione captivorum & de donatione ad reparandas ædes incendio, aut ruina corruptas loquatur, jus singulare vero non sit extendendum ultra verba Legum, cui sententiæ etiam accedit Struv. S. I. C. Ex. 40. thes. II. Carpzov. P. 2. C. 12. D. 13. & post hos Schöpffer Synops. jur. de donat. n. 17. Unde ad minimum inter Protestantes recen-

situm Privilegium valde dubium est, cum scilicet Studiosorum nomine saepe homines ignavi & vitiis praediti abutantur, in quorum conditionem ut inquirat Iudex, sine dubio opus est.

PRIVILEGIUM LXV.

Quamvis filius Doctoris Montispesulani, vel alterius civitatis, natus sit alibi, quam in Montepesulano, vel alibi, quam in loco Patris; non tamen minus dicitur originarius civis Montispesulani, vel alterius loci patris. P.
II5.

OBSERVATIO.

§. I. Hoc juxta Rebuffum facit ad statuta civitatum quibus cavetur, ut nullus possit admitti in regentem, vel in consulem, nisi sit originarius civis, ut ipse filius alibi natus non prohibeat. Et idem esse dicit in nato extra civitatem tempore pestis, ut singatur natus in civitate. Res patet ex l. 3. C. de municipio orig. nec ad solos Doctorum filios, sed ad alios quoscunq; etiam pertinet, conf. Mon-

Monzambano de stat. Imper. Germ. Cap. I.
§. 6, in quæstione simili juris publici.

PRIVILEGIUM LXVI.

Quod sicut pater naturalis & legitimus tenetur alere filium: ita Doctor tenetur alere suum scholarem pauperem. P. 116.

OBSERVATIO.

S. I. Declarat se Rebussus p. 117. hoc procedere solum ex urbanitate, non ex necessitate, nec posse obtineri in forensi iudicio, alias, inquit, mihi impossibile esset alere decem millia scholasticorum, quos habeo & ultra à tempore, quo incepi jura publicè profiteri, sed arbitror, omnes jam esse dientes. Est E. hoc privilegium, ex quo nulla oritur obligatio efficax.

S. II. Eodem modo se res habet, quando subjungit, quod scholasticus, qui multis bonis abundat & beneficiorum fructibus, quartam partem Doctori suo impertiri tenetur, & viceversa Doctor scholastico. Ad hoc enim iterum nemo cogitur.

F;

PRIVI-



PRIVILEGIUM LXVII.

Licet Pater pro filio non ferat testimonium; doctores tamen, quamvis vocentur Patres scholiarum, poterunt testimonium ferre pro suis Auditoribus. P. II. 7.

OBSERVATIO.

§. I. Nihil singulare hic adest. Leges, quæ testimonium Patris pro filio non admittunt, loquuntur de Patre naturali; Doctor autem talis non est, unde dispositio Legum ex eadem ratione nec ad patrem Spiritualem, nec cum, qui cura, consilio, magistratu, liberazione ex periculo, astate, reverentia & dignitate pater vocatur, (quos omnes recenset Rebuffus p. 119. seq.) pertinet.

§. II. Quarit p. 119. Si Doctores jurant probandum habilem, & non sit, an possint de perjurio puniri? Negat. Quia enim consuetudinem habent, ut jurent tam de perito, quam de imperito; ergo eandem Doctores excusare dicit, licet sit irrationalis consuetudo. Mirum sane! Unde, addit, liberare mustos jurantes in foro contentioso, non autem quoad Deum, qui non fallitur. Sed cur non

non etiam in foro externo putarentur, si de
perjurio constaret?

PRIVILEGIUM LXVIII.

Quod Scholaribus testantibus de
scientia Doctoris creditur. P. 121.

OBSERVATIO.

S. I. Provocat ad Joh. de Platea in l. ex
agentibus C. de princip. agent. in reb. lib. 12.
nec non ad diversas Leges, in specie autem
ad l. 12. pr. ff. de instruct. vel instrum. legat.
ubi dicitur, *Audatores Servii retulisse, quod*
Servius ita responderet, prout scilicet in lege
illa responsum adducitur. Verum hic Au-
ditores non de scientia Servii testabantur,
sed nudum factum referebant, quapropter
exinde privilegium aliquod deduci non po-
test. Ipse etiam Rebuffus eidem parum tri-
buit, dicit enim, se privilegium intelligere
quoad famam bene legendi, sed non quo-
ad probationem & reprobationem, quia ad
scholares non spectat reprobatio, cum non
possint approbare. --- & plurimi similes
sunt matri filiorum Zebedei, eò quod ne-
sciant, quid petant.

PRIVI-



PRIVILEGIUM LXIX.

Quod licet pater recusari Jūdex in
causa filiorum possit, Doctores
tamen in causis suorum schola-
rium Judices esse poterunt. P.12I.

OBSERVATIO.

§. I. Repetenda hic sunt, quæ ad *Privil.*
LXVII. diximus. Addit Rebuffus *p. 122.* Ho-
die Doctores, quia Scholares ad eos non
veniunt, nullam inter eos exercent jurisdi-
ctionem, sed si venirent ad eos, non inven-
nio illis ademtam, saltem in volentes, nisi
in delictis per Scholasticos commissis, quia
super illis non cognoscunt. Doctores etiam
inter scholares, nempe Magistri, Doctores
& Scholares Bononiæ quantum ad delicta
huic privilegio renunciarunt, quia per Ma-
gistros non poterant delicta plene puniri.
Sed alii Scholares non renunciarunt, ideo
inspicienda est quoad hoc consuetudo. Un-
de longo tempore invaluit consuetudo apud
Parisienses, ut Magistri & Doctores schola-
res suos à Judicibus secularibus requirent
& requisiti non denegarentur, nisi in hor-
rendis criminibus. Verum hodie Magistri
dormiunt & scholastici suspenduntur, licet
olim



olim virga tantum corrigi & dulcius sole-
rent.

§. II. In Germania Universitates commu-
niter quidem jurisdictionem civilem exer-
cent in Studiosos, non vero criminalem, nisi
ex speciali Privilegio, quale habent referen-
te Schwedero *Introd. in jus publ. Part. speci-*
Sect. I. Cap. 6. §. 6. Tübinger, Heidelber-
gensis, Helmstadiensis, Viennensis, Ingol-
stadiensis, Gryphiswaldensis, Lipsiensis,
Francofurtensis, Wittebergensis, Rostochi-
ensis & Salisburgensis. Quamvis huic re-
lationi non admodum tutò fidere possis,
cum v. gr. in Academia Francofurtensi &
Wittebergensi aliud obtineat. De Hallensi
nostra interim res expedita est.

PRIVILEGIUM LXX.

Quod Scholares non possunt in
jus vocare venia non petita suos
Doctores. P. 123.

OBSERVATIO.

§. I. Deducit hoc ex antiqua in *jus voca-*
tione apud Romanos usitata. Sed cum ea
dudum desierit, hinc prætensum hoc Privi-
legium multis refutare operæ pretium esse
non videtur, quod præterea non esset Privi-
legio.



legent scholarium, sed Doctorum. Interim p. 124. graviter in eos invehit Rebussus, quicquid tantum honoris suo Praeceptor tribuit, sicut cani rabido, imo verberibus eos aliquando efficiunt, aut strepitum faciunt, vel sine lectio hecum abire procurant, dum murmur inferunt Doctoribus, &c.

PRIVILEGIUM LXXI.

Liceat Pater posse verberare filium suum, & compedibus adigere, & etiam detinere in carceribus; tamen Doctores non debent scholasticos suos verberare nec dignitate privare. P. 124.

OBSERVATIO.

§. I. Rationem reddit Rebussus, quia forte Scholastici, cum jam sint magni, redde-rent suis Doctoribus quadruplum. Ergo, dicit, juvenes blandis potius verbis, quam asperis, aut verberibus, ad scientiam pelli-ciendos esse. Confer iterum, quæ de dif-ferentia inter patrem naturalem & Docto-rem diximus ad Privileg. LXVII.

§. II. Noli hodie, inquit p. 126. verbera-re scholasticos sacra Theologia, Decreto-rum

num, Legum; vel Medicinae, si nolis verbērari, nec artijū Magistros, cum ex consuetudine Parisiensi sine Rectore Magistri artium per alios Collegas & artium Magistros, vel Collegiarum primarios non soleant virgis cœdi, quia dum zona fracta fuit, ab his sunt libertati, dicentes illud Davidicum: Laqueūs contritus est & nos liberati sumus, & possent forsitan volenti eos verberare dicere, quod sacra promere solebat, considera, uter vestrū pluribys egeat verberibus,

PRIVILEGIUM LXXII.

Si aliquis judicet contra communem opinionem, istem facit suam; speciale tandem est in scholasticis, qui si judicaverint secundum sententiam sui Doctoris contra communem tenentis, excusantur in Syndicatu & à condemnatione expensarum nec litem suam facere dicuntur. P.126.

OBSERVATIO.

§. I. Communem opinionem vim legis cuiusdam habere erronee supponit Rebus fus.



fes, unde eo fundamento negato, simul etiam Privilegium corruit. Vide, quæ admodum eruditè de hac materia dissenserit Helfric. Ulric. Hunnius de interpret. & autor. jur. c. ult. Imò, dantur opiniones communes contra communes prout ex Hieronymi de Cævallos *Speculo aureo* aliisque videre licet, quænam nunc ex illis sequenda erit?

§. II. Privilegium suum interim limitat Rebussus p. 127. (1) quando Doctor esset, quoddam pecus Melibœi, asinus plumbeus & durus sicut marmor: (2) quando ille Doctor sequi consuevisset opiniones insolitas propter superbiam & (3) quando notoriè esset malæ conscientiæ & solitus consulere omnibus deferentibus aureos. Undò verbō: si opinio illa genuinis fundamentis destituta-

PRIVILEGIUM LXXIII.

Quod si Studiosus juraverit non exire districtum, nec territorium aliquod sine Creditoris voluntate, donec solverit; poterit tamen exire & recedere, si per patrem jussus fuerit venire, sine me-
tu perjurii. P. 127.

OBSER-

OBSERVATIO.

§. I. Hoc Privilegium apertè falsum est, nec ullam rationem habet. Dicit quidem Rebiffus: *in omni juramento intelligi exceptam autoritatem superioris, patrem vero esse superiorem, E. sed hic aperta cavillatio adest.* Regula adlata enim hoc saltē vult, quod subditus non debeat jurare in præjudicium autoritatis superioris sui, quale quid in præsenti casu nostro factum esse non comprehenditur. Non poterit igitur recedere Studiosus post præstitum juramentam sine metu perjurii.

PRIVILEGIUM LXXIV.

Quod licet Scholaris juraverit Rectori, cum comitari, ut fit in Montepessulano, tamen non dicetur venire contra sacramentum, nec erit perjurus, licet illum comitatus non fuerit. P.128.

OBSERVATIO.

§. I. Illa consuetudo apud nos plane est incognita, interim tamen ex principiis sanæ rationis sequeretur, quod scholasticus non

G sem-



semper Rectorem comitari necesse haberet,
quia à studiis abstraheretur.

§. II. Aliquando, inquit Rebuffus p. 129.
 Domini Rectores volunt pompam suam ostendere & ire ad nuptias instar Christi, & ad dominas & ad sepulturas mortuorum & impedire Auditores, ne id temporis studeant, maxime Rectores ignari, tunc Consiliarii Universitatis debent iis societatem & debent dimittere scholasticos audientes, nec ipsis tenentur eō tempore, quō audiunt, venire ad eum, nisi pro urgentibus negotiis Universitatis & quando vadit die dominico ad Missam, &c.

PRIVILEGIUM LXXV.

Quod quamvis perjurus sit infamis, fallit tamen in studentibus, qui si non obedient Rectori, sunt perjuri, sed non infames, nisi per sententiam condemnentur. P. 129.

OBSERVATIO.

§. I. Quidam Scholastici juxta Rebuffum non multum curant perjurium: nam sunt scholares, E. perjuri. Lepida consequentia. Ideo addit p. 130. esset providendum, vt studentes



dentes non jurarent obedire, cum facile transgrediantur juramentum, sed potius statuenda esset poena contra inobedientes.

§. II. Propter leviorem inobedientiam sine dubio non fiunt infames Studiosi, sicuti nec alias subditis infamia nota statim inuritur, licet interdum jussui superioris non pareant. Aliud vero in gravioribus causis, ubi tamen ubique infamia per sententiam demum infertur, ut adeo singulare quid hic non adsit. Interim bene monet Rebuffus, quod juramenta à Studiosis præstari solita abrogari debeant, cum nullum fere effectum habeant ob frequentiam perjuriorum. Unde etiam in Academia nostra Frideriana Rectori stipulata manu saltem obsequium promitti solet.

PRIVILEGIUM LXXVI.

Quod si scholaris juraverit (ut fieri in gradu Baccalaureatus solet) sumere gradum in aliqua universitate; eo non obstante tamen juramento & sine metu perjurii poterit in alia universitate gradum accipere. P. 131.

G 2

OBSEE.



OBSERVATIO.

§. I. Rationem dat Rebuffus, quia ibi novum examen sustinere cogitur, omne vero juramentum intelligitur rebus sic stantibus, quod plurimis exemplis illustrat ex jure civili, v. gr. quod jurans non petere usuras, illas petere possit, si Testator eas jussit restitu in testamento, quod filia renuncians hereditati paternæ jurato nihilominus patri succedere queat, si à Patre heres instituatur, &c. quibus tamen admisisis, casus noster ad jus commune, non autem ad materiam privilegiorum referendus esset. Interim hodie passim apud nos contrarium observatur, quod de Civitate Tholosana etiam refert Rebuffus p. 133.

PRIVILEGIUM LXXVII.

Quod si Pater visitat suum filium studentem non poterit in loco, in quo filius studet, pro contradicibus alibi gestis conveniri. P. 133.

OBSERVATIO.

§. I. Extendit hoc Privilegium Rebuffus etiam ad fratrem, matrem & nuntios, qui pecunias ad Icholares perferunt, quia aliqui

qui nemo unius inveniretur, qui ad Studiosos deferret pecunias. Res certa est & juris communis, quia Pater aut alias in loco studii nec ex capite domicili, nec delicti, nec contractus, nec alio quoque forum sortitur. Si E. domicilium ibi habet, aut contraxit, aut delinquit, quo pertinent Rebuchi limitationes p. 134. seq. tunc aliud dicendum. Sed hoc iterum juris communis est.

PRIVILEGIUM LXXIIX.

Quod Pater visitans filium non potest capi pro Repressaliis. P. 135.

OBSERVATIO.

§. I. Hoc privilegium fundamento destituitur. Argumentatur quidem ita Rebussus: quia Pater non potest conveniri propter debitum proprium, (de quo ad *Privil. præc.*) E. nec propter alienum; sed hæc consequentia non procedit, quoniam in Repressaliis à Regulis juris communis plane recedimus. Ita quoque nullius valoris sunt, quæ sequuntur: quod scholastici possint dicere, qui vos tangit deferentes quicquam nobis, nos tangit, & qui vos spernit, nos spernit, vita vestra, vita nostra, &c. Lepidè interim subjungit: *Contrarium vero dicit Panormitanus*



de sacerdotibus, quod Laicorum vita est presbyteris passio, mors vero illorum est sacerdotibus consolatio, sicut mors pullorum & caponum, vita nostra dicitur.

PRIVILEGIUM LXXIX.

Quod sicut punitur in quadruplum damnum inferens scholari: ita, qui patri, aut fratri, aut nuntio illum visitanti damnum infert, eodem modo puniendus.

P. 135.

OBSERVATIO.

§. I. Antecedens quidem habetur in *Avth.*
Habita C. Ne filius pro patre; sed consequens exinde non fluit, imo etiam antecedens moribus nostris non procedit, quia pœnas in duplum & quadruplum nunquam recepiimus. Dicit-quidem: famulos habere privilegia propter scholasticos, E. multo magis cōsanguinei scholarium; sed hoc iterum non sequitur. Privilegium famulorum etiam ulterius se non extendit, quam quod idem forum cum dominis suis agnoscant. Hoc vero ad præsentem casum non pertinet.

§. II. Er-



§. II. Ergo hoc solum manet: Quemadmodum puniendi sunt, qui Studiosis damnnum inferunt: ita quoque poenam merentur, qui eorum consanguineos lādunt. Sed hoc forsan iterum juris communis est.

PRIVILEGIUM LXXX.

Quod licet mandatum re integra expiret, morte mandantis; dissimulatur tamen studii gratia, id est, morte mandantis non expirat. P. 136.

OBSERVAT!O.

§. I. Causam studiorum causæ dotis æquiperandam esse dicit Rebuffus; quod vero in causa dotis mandatum morte mandantis non expiret, hoc ex l. 9. §. I. ff. de jure dot. probare nititur. Videamus. Si res, inquit Ulpianus, alicui tradidero, ut nuptiis secutis dotis efficiantur, & ante nuptias deceffero, an secutis nuptiis dotis esse incipient? Et vereor, ne non possint in dominio ejus effici, cui date sunt, quia post mortem incipiat dominum descendere ab eo, quo dedit, - - sed benignus est, favore dotium necessitatem imponi heredi consentire, quod defunctus fecit, &c. Vides,



non esse sermonem de mandato, sed de casu, ubi res jam data erat in dotem & saltem quæstio oriebatur, annon propterea iterum revocari possit donatio, quia conditio vivo donante non erat impleta. Insuper jam antea monitum est, in juribus singularibus extensivæ interpretationi non facile locum dari.

PRIVILEGIUM LXXXI.

Quando Rescriptum Papæ dirigitur alicui, debet illud reverentur accipere & illius tenorem executioni mandare; fallit tamen in scholaribus, qui licite se possunt excusare, si ob id lectionum ja-

cturam facerent. P. 137.

OBSERVATIO.

§. I. Rationem reddit Rebuffus, quia præsumendum est, quod si scivisset superior, Studiosum circa suum studium occupatum esse, ad eum non direxisset Rescriptum. Et idem in Doctoribus ad legendum conductis obtinere dicit, ut se excusare possint, quem in finem proprium exemplum adducit, q uod se apud Bituriges in causa sibi commissa ex-
cu sa-



cusaverit, dum ibi publice jura profitetur.

§. II. Nos putamus, casum vix dabilem esse, ut ad Studiosos Rescripta Principum dirigantur & ipsis negotia expedienda committantur, E. etiam excusatione opus non erit. Interim, si hoc fieret, in arbitrio Principis esset, an excusationem admittere velit, annon.

PRIVILEGIUM LXXXII.

Quod si duo impetraverint mandatum de providendo & non appareat de prioritate datæ, nec de præsentatione, tunc scholaris aliis in dubio debet præferri. P.

137.

OBSERVATIO.

§. I. Argumentum iterum á dote petit, quia in *l. ambiguis ff. de R. J.* habetur, quod in ambiguis pro dote respondendum sit. Ex quo etiam infert, si duo instrumenta debiti sint confecta eodem die & non appareat de alicujus prioritate, quod tunc illud censeatur prius, quod est studii causa confectum, in quam rem iterum propriam experientiam

G₅ addu-

adducit & se ita Caturci obtinuisse testatur.

§. II. Casus primo raro dabilis esse videatur, si vero daretur, tunc unice ad superioris decisionem recurrendum esset. Quod vero scholaris præcipue præferendus sit, illud ex argumento à causa dotis desumpto non sequitur, quia, ut sæpe dictum, in jure singulari interpretatio extensiva locum non habet.

PRIVILEGIUM LXXXIII.

Quod prætextu alicujus exactio-
nis, vel causæ, scholares non de-
bent à studiis suis revocari. P. 138.

OBSERVATIO.

§. I. Adducit ea, quæ sæpius adduxit, quia per studiosi scientiam mundus illuminabitur, & ideo existimat, non paulo minore poena afficiendos esse eos, qui literarum studia perturbant, quam qui res divinas. Provocat specialiter ad Privilegium Philippi VI. Regis Galliæ, in quo cautum, ne bona ad sustentationem Studiosorum destinata arrestentur.

§. II. Loquitur E. Privilegium de bonis ad sustentationem Studiosorum destinatis, non



non de Studiosorum personis. Quoad has ergo distinguendum. Aut ex justa causa aliquid ab illis exigitur, aut non. Posteriori casu quilibet hoc privilegium habet, ut ab exactione tutus sit; aliud posteriori.

PRIVILEGIUM LXXXIV.

Quamvis ad gradum Doctoratus aliquis admitti non debeat, nisi studuerit saltem per quinquennium; tamen quando scholaris esset magni ingenii, & spes esset, ut efficeretur doctus, tunc non venit repellendus. P. 139.

OBSERVATIO.

S. I. De quinquennio Studiorum habetur in *Constit. Justiniani ad Antecessores de ratione & methodo juris docendi*. Hodie vero illud notorie non observatur, & ergo si jam ante illud tempus elapsum aliquis tantos profectus habet, ut gradum doctoralem mereatur, tunc merito magis ad erudititionem, quam ad annos respicitur. Sola spes vero non sufficit in ignorantibus, quippe quæ admodum fallax est.

PRIVE.



PRIVILEGIUM LXXXV.

Quod licet alios velle superare sit peccatum superbiæ, quod est appetitus propriæ excellentiæ, unde superbus dicitur, quia super vult videri; tamen alios in scientia & virtute velle superare, non est peccatum. P. 140.

OBSERVATIO.

§. I. Provocat ad Hieronymum *P. 3. epist. 5.* de institutione puerorum, qui ad Paulam loquitur hisce verbis: *Habeat in discendo socias, quibus invideat, quarum laudibus mordetur, non objurganda est, si tardior sit, sed laudibus excitandum est ingenium & vicisse gaudeat & victa doleat*, unde Quintilianus: *ille detur mibi puer, qui vicitus flet, &c.*

§. II. Nos ita distinguendum putamus: aut aliquis ex sola ambitione alios superare contendit, aut absque tali vitio solius virtutis amore. Priori casu omnino adest peccatum, non autem posteriori, sed posterior casus rarus est & præterea non pertinet ad materiam privilegiorum, sed interpretationes restrictivæ.

PRI-



PRIVILEGIUM LXXXVI.

Quod scholaris notorie peritus,
quando gradum suscipit Licen-
tiæ, non debet examinari. p. 140.

OBSERVATIO.

§. I. Ipse Rebuffus de hoc privilegio ita sentit: Ego vero contrarium servavi in Universitatibus, in quibus sui regens, videlicet Caturci, Biturigibus, & Parisiis, ut quilibet examinaretur, ne aliquid ex solennibus omittetur. Nam quando examen pro forma requiritur, etiam notorie doctus debet examinari, ut forma servetur, sine qua actus corrueret. Sed, addit, illud examen non debet esse tam exactum, quam aliud, licet ego contrarium servaverim in multis. Nam quanto quis est doctior, tanto delectabilius examen est. Loqui enim cum ignariorum & eos examinare, est caput asini instruere & cum statua loqui, &c. Quid ergo? Examen nunquam est omittendum, quia questio prajudicialis est, an sit notoriè doctus. Multi famam eruditionis vel habent, vel affectant, & tamen fama fundamento destituitur.

PRIVI-



PRIVILEGIUM LXXXVII.

Quod scholaris potest rejicere Doctorem suum ab examine, si sit ei suspectus, & Cancellarius, vel Decanus prohibebit tales Doctorem suspectum ingredi examen. P. 141.

OBSERVATIO.

§. I. Argumentum exinde desumit, quia Doctores in examine sunt instar testium, testes autem suspecti à testimonio repelli possunt. Durum esse dicit, ab inimico vel superbo examinari cum plus querat indectus, quam sciat solvere doctus & cum tamen non sit exigenda nimis rigida & amara examinatione, sed mediocris, quia qui nimis emungit, elicit sanguinem & cogitare debet examinans, quod si eximinetur, forte non responderet.

§. II. Procedere putamus hoc assertum, si forsitan unius Doctori committeretur examen & ille Doctor esset suspectus. Quod si vero, prout communiter fieri solet, omnia Facultatis membra praesentia sunt, & singuli Doctores examinant, tunc aliquis non facilè ut suspectus removeri poterit. Facile enim de-

deprehendent reliqui, an ille cavillationibus utatur, annon. Et si prius, propterea non habebitur pro indigno Candidatus, quod forte ad omnes quæstiones responde-re non potuerit, sed sufficiet, si modo reli-qui ejus responsione sint contenti.

PRIVILEGIUM LXXXIIX.

Quod quando quis reprobet te-stem, debet causam allegare & probare. Fallit in scholaribus, quibus sufficit eorum juramen-tum, quod tales Doctorem ha-bent suspectum. p. 143.

OBSERVATIO.

§. I. Rationem reddit, quia non est veri-simile, quod scholaris velit Doctorem suum reprobare sine causa, nisi esset ignarus, qui nollet suam detegere ignorantiam doctori valde excellenti. At vero ante examen non constat, an sit ignarus, annon, ille scholaris.
E. nihil dixit Rebuffus.

PRIVILEGIUM LXXXIX.

Quod Doctores vel Bidelli, seu a-
lli, non debent exigere pastum
à scho-



à scholaribus primo legere incipientibus; vel à novis Baccalatuis, etiam si consuetudo aliter disponat, vel statutum. P. 143.

OBSERVATIO

§. I. Consuetudo hic notorie est in contrarium, quod nempe si extraneus quis, qui non assumit gradum in hac Academia, legere velit, Facultati suæ certum quid persolvere teneatur. Et talis consuetudo sine dubio plus valebit, quam opinio Rebuffi, præcipue cum ipse concedat, valere statutum, quod Collegiatus, seu Bursarius pro jucundo adventu Collegii debeat quicquam aliis, utpote prandium, solvere, vel aliud. Si enim hoc licitum, cur non etiam certam pecunia summa solvere & accipere permetteretur.

PRIVILEGIUM XC.

Quod Doctor non potest collectam à scholaribus pauperibus exigere. P. 144.

OBSERVATIO.

§. I. Multa hic adfert de privilegiis Paupertatis & provocat ad l. o. ff. de dol. mal. ubi dicitur, quod

quod inanis sit actio, quam inopia debitoris excludit. Ergo infert, Magister gratis pauperes scholares docere: Advocatus gratis pauperibus clientibus interservire: Iudex gratis justitiam pauperibus litigantibus administrare tenetur, & quæ sunt similia. Egregium sanè privilegium, quod in impossibilitate fundatum. Wo nichts ist/ da hat der Käyser sein Recht verloren.

§. II. Paupertatem prodesse asserit p. 147. Sed, addit, à tali prodesse liberet nos Deus, dicunt Doctores, & si divinæ placet clementiæ, volebat esse immunis ab hoc prodesse & idem de filiolis suis Barb. in c. *significantibus. de Offic. deleg.* Interim differre dicit paupertatem & inopiam. Pauper est, qui parum habet, inops, qui nihil, unde inops derivatur ab *in & ops*, quasi sine opibus.

§. III. Ipse Rebuffus pauperum classi se adjungit p. 149. si in hac materia, inquit, ultra morem solitum divagatus fuero, me excusatum habebitis, quia hanc sororem meam, quæ mecum semper habitavit & adhuc indies me amplexatur & quocunque me ver tam sequitur & in qua tamdiu delectatus sum, non potui brevibus verbis compensare, in eaque non congaudere & pro mea parte cino n satisfacere.



PRIVILEGIUM XCI.

Quod si aliquis impetrat Rescriptum ad conveniendum scholarem, nominando eum nomine proprio & non faciendo mentionem de ordine scholastico, videlicet, quod sit scholasticus, tunc illud Rescriptum non valebit, nec ratione illius poterit studens conveniri. P.149.

OBSERVATIO.

§. I. Non satis clarè mentem exprimit Rebuffus; interim ex iis, quæ porro sub jungit d.p. 149. colligi potest, eum hunc casum innuere, quando quis vi impetrati Rescripti Studiosum coram incompetente Judice convenire vult. Ceterum uti alias, ita & hoc casu ejusmodi Rescripto exceptio sub-~~E~~ ob-reptionis opponi potest, quod proinde juris communis est, licet hoc mille aureis scholasticis valere posse existimet Rebuffus.

PRIVILEGIUM XCII.

Licet non valeat Rescriptum, sicut vis Mediolanensis dixerit se Bononi-

noniensem, &c. fallit tamen in scholaribus, qui si fuerint cives Montispessulani, & tamen in supplicatione, vel Rescripto dixerint, quod scholaris Tholosanus supplicet, valebit Rescriptum, licet non sit ibi ortus, dum tamen ibi studeat. P. KO.

OBSERVATIO.

§. I. Opponit non opponenda & sine ultra necessitate sibi dubium format. Civis Mediolanensis non est civis Bononiensis, hoc verum est, sed quis inde inferret, E. Civis Montispessulani non potest esse scholaris Tholosanus? aut quis putet hoc esse privilegium, quod Civis Montispessulani scholaris Tholosanus fieri queat?

PRIVILEGIUM CXIII.

Quamvis mutatio nominis sit prohibita, in scholasticis tamen non est prohibita. P. 151.

OBSERVATIO.

§. I. Probationem exinde desumit, quia licet scholares olim vocarent *dupondios*, ho-
H 2 die



die tamen nomine mutato *justinianos*: item, quamvis vulgus studentes, antequam operam dent legibus, vel juri canonico, *Grimaldos* appellat, vel *artibus vacantes Magistros*; tamen postquam incumbunt Legibus, vel juri Canonico, vocantur *scholares*, vel *domini*.

§. II. Egregia sanè probatio! eādem ratione omnibus hominibus mutationem nominis permīssam esse dici posset. Nam primo vocantur *infantes*, deinde *impuberes*, *minores*, *majorennas*, *senes*, &c. Item *Virgines* deinde dicuntur *Uxores* & maritō *mortuō* *Viduae*. Sed quis non misereatur ineptiarum. Hæc nomina sibi ipsis non imponunt homines, sed ab aliis iisdem juxta vulgarem loquendi modum imponuntur.

§. III. Interim observat Autor, quod licet nomen Magistri sit nomen honoris, quia Christus voluit vocari Magister; tamen hodie ex consuetudine apud Legum Auditores vocari Magister lingua materna patriæ occitanæ, vel provinciæ injuriosum illis videatur, & hoc evenisse credit ad constitutendam differentiam inter incumbentes Grammaticæ, artibus & juri. Nempe hoc nomen sicut remansit penes artium Professores,

sores, ita apud Theologos & Medicos. De Theologis, addit, non est mirandum, debent enim esse imitatores Christi in effectu, E. & in nomine. Recte Modò etiam essent mansueti, humiles, &c. Apud nos titulus *Magistri* solis Philosophis relictus. Sed & hos ejus jam pudet.

PRIVILEGIUM CXIV.

Quod scholaribis etiam Clericis
licitum est portare vestes breves
& indumenta cujuscunque co-
loris sint. P. 152.

OBSERVATIO.

§. I. Studentes viatores esse dicit & pe-
regrinos, viatores autem vestes cujuscunque
coloris gestare posse, E. etiam Studiosos. Un-
de addit, se in Montepessulano vidisse pres-
byteros in Studio existentes portare tibia-
lia, seu caligas rubeas & alterius coloris,
prout iis placuerit. Nostri Studiosi Theo-
logiae idem faciunt, nec iis hac parte Leges
præscriptæ sunt, quamvis contra decorum
sæpius impingere soleant.

§. II. Varia Rebuffus hic adserit ex aliis
Autoribus, ad materiam de vestimentis præ-



cipùè Studiosorum pertinentia, ex quibus pauca excerpemus. Si brevem, inquit, vestem communiter in Universitate scholasticus aliam habens deferat, brevis sensu præsumitur; si pennam in pileo, & hunc levem præsumemus; si uestes graves & gravibus personis & sapientibus convenientes detulerit, eum veneremus; Si vero uestes gerat immundas, cum coquum, seu culine insidentem frequenter, seu suo studio insistentem sub Saturno tamen natum non male arbitraberis, &c.

§. III. Quærit p. 155. si testator legaverit alicui uestes hyemales, quo tempore debeant tradi? Respondet ex l. i. C. de milit. ueste lib. 12. ubi habetur, quod à Calendis Septembris usque ad Calendas Aprilis canon uestium tradi debeat. Rectè tamen addit, qualitatem regionis considerandam esse, cum tempestas admodum variet.

§. IV. Quærit porro pag. 156. quantum & quorū sit solvendum sartori pro ueste? Resp. ex l. 3. C. d. tit. non debere solvi ultra unum florenum. Ast subjungit, hoc consuetudine non servari, sed pro labore taxari salarium & pro locorum consuetudine, & plus Parisiis, quam alibi solvi, quod se expertum esse testatur.

PRIVE-



PRIVILEGIUM CXV.

Quod licet quis non cogatur ad faciendum, sed si promittens non fecerit, quod promisit, tenetur ad interesse; fallit tamen quando scriptor promisit librum scribere scholastico, tunc enim interesse praestando non liberatur, sed praeceps potest cogi ad scribendum, ratione utilitatis publicae. P. 156.

OBSERVATIO.

§. I. Afferit haec ita quidem Rebussus, sed optandum esset, ut nobis etiam modum suppeditasset, quo executio fieri queat. Dicit quidem: ut etiam possit scriptor, si non scribat, in compedes conjici; sed si hoc sufficeret, tunc certe quilibet ad faciendum cogi posset. Frustra ergo miratur Bartolus, quare scriptores glossam *ad l. stipulantes*. §. sive ff. de V. O. (qua hoc cogendi medium suppeditat) non cancellaverint. Non enim hoc intermissum, ut arbitratur Rebussus, quod scriptores glossam non intellexerint, sed ideo,

H 4

quia



quia remedium insufficiens esse deprehenderunt.

§. II. Interim limitat assertionem p. 157. quod solum procedat in scribente libros legales, vel Medicinæ, aut Theologiæ & similes, unde secus in Scriptore, qui promisit scribere fabulas Bocatii, vel facetias Pogii, seu aresta amorum. Et p. 159. aliam addit limitationem, si scisicet scriptor ad tales aspirasset dignitates, in quibus libros scriptoris instar scribere illi dedecori esset, v.g. si ad Præturam advolasset, vel ad majorem, aut similem dignitatem.

PRIVILEGIUM CXVI.

Quod non solum Scriptor tenetur præcise scribere librum, sed etiam suo atramento, item suis calamis & aliis instrumentis ad scribendum necessariis. P. 159.

OBSERVATIO.

§. I. Corruente Privilegio præcedente, præsens etiam corruit. Præterea, ut ipse monet Rebuffus, cum hodie tales Scriptores non amplius habeamus, sed typographos, tota disputatio nullius momenti est.

ti est. Interim grauiter reprehendit eos typographos Autor p. 160. qui idoneos Correctores non alunt.

PRIVILEGIUM XCVII.

Quamvis non valeat pactum, quod liceat Creditori propria autoritate capere debitorem non solventem, fallit tamen in scholaribus, quibus si promisit scriptor in certo loco stare & ibi scribere librum, poterit propria autoritate capi & in vincula destrudi. P. 161.

OBSERVATIO.

§. I. Hic eadem repetenda, quæ ad præcedens privilegium monuimus. Quod vero Rebuffus dicit, assertionem etiam in typographis habere locum, quia eadem adest ratio, hoc & rationi juris & observantiae contrariatur.

PRIVILEGIUM XCIX.

Quamvis Imperator in terris subjectis Ecclesiæ quoad tempora-

H 5 lem



Icm jurisdictionem non habeat potestatem legitimandi spurious, vel naturales; Imperator tamen poterit legitimare scholasticos naturales tantum, quos vocamus bastardos, in studiis publicis studentes, quoad temporalia, licet studia sint in terris Ecclesiæ, tanquam filios suos speciales. p.

I62.

OBSERVATIO.

§. I. Ratio, inquit Rebuffus videtur esse, quia cum omnes scholastici sint sub speciali protectione &, ut practicè loquar, salvaguardia Principis, E. tanquam suos speciales filios & ei commissos poterit legitimare, & sic dixi, Regem Franciæ posse Scholasticos Avenoniam studentes quoad temporalia legitimare, licet illa civitas sit de terris Ecclesiæ, quia tantam potestatem habet Rex Franciæ in suo regno, quantum habet Imperator in suo Imperio.

§. II. Ampliat Privilegium, quod legitimatio fieri possit, etiam si Pater haberet legitimos & naturales, licet Baldus dicat, Impera-

peratorem esse unum pecus, quando legitimat naturales existentibus legitimis & naturalibus. Interim addit p. 164. ejusmodi legitimatum per Imperatorem, vel Regem, non censeri legitimum quoad Ordines, sed saltem quoad honores.

§. III. Ratio Autoris parum stringere videntur, Imperatorem ideo posse legitimare in terris Ecclesiæ, quia Studiosi sunt speciales ejus filii. Ubi enim filiatio & paternitas illa quoad terras Ecclesiæ fundata? Autoritas etiam Baldi, Philippi Franci & Alexandri, quos adducit p. 163. parum ad rem facit. Unde ego valde dubito de hujus Privilegii existentia.

PRIVILEGIUM XCIX.

Quia licet commodum & incommodum perfecta emtione spectet ad emtorem; fallit tamen in scholaribus, qui si emerint à rusticō, vel ab alio vinum, quod forte non potest servari & tamen ipsi ignorantēs servaverint & vi-
num inutile factum sit, tenetur
Vendi-

Vendor, qui naturam vini dicere debebat. P. 164.

OBSERVATIO.

§. I. Hoc juris communis esse, ipse agnoscit Rebuffus ex l. 15. ff. de peric. & comm. rei vend. Dicit quidem pinguius jus competere studentibus, cum communiter ignorent naturam vini, sed non aquæ bonæ, quæ eorum est amica studiis; ast in quo consistat illud pinguius jus non explicat. Taceo, consum raro dabilem esse, quod Studiosi vinum diu asservent.

PRIVILEGIUM C.

Quamvis quis non cogatur vendere; Scholasticis tamen cogitur quis vendere locum aptum ad scholas amplandas, vel ad Collegium. P. 164.

OBSERVATIO.

§. I. Hoc Privilegium forsan procederet, argumento eorum, quæ alias adferre solent DD. quod v. gr. ad dilatandum templum, vel coemeterium, & quoties alias publica utilitas subest, vicinus fundum, aut ejus partem vendere cogatur, v. Carpzov. *Jurispr. Eccles.*



Eccles. lib. 2. def. 388. Brunnem. ad l. 12. ff. de Religios. n. 2. supponenda tamen est urgentissima necessitas, quæ ampliationem Collegii, vel scholæ exigit.

PRIVILEGIUM CL

Quia invito scholari non debet quis occupare locum ejus, quem in studio habet, etiam alius scholasticus. P. 165.

OBSERVATIO.

§. I. Provocat ad gloss. in l. fin. C. de offic. Magistr. off. & hoc introductum esse credit, pacis & concordiae inter Studiosos servandæ causa & ob scandalum vitandum. Nam, addit, antequam ista servarentur in civitate Tholosana, hora tertia post medium noctem seu circa ibant scholastici ad studia, ut haberent loca apta, & aliquando mittebant famulos, ut ea custodirent & ipsi in lecto dormiebant & famuli expellebantur per alios studentes, & demum dominis venientibus controversiae inter eos durissimæ oriebantur, quamobrem fuit introductum, ut ante occupationem vacua occupantibus acquirantur, facta demum occupatione nullus illum



illum locum invito primo occupante accipiat, imo potest dici, quod olim Perusius, fugite hinc pueri, locus sacer est.

§. II. Quod limita, pergit, nisi scholasticus & corpore & animo deseruerit locum illum & revertendi consuetudinem omisferit, tunc demum primo occupanti traditur, per §. pavonum. J. de R. D. Unde Tholosæ locum præscriptum fuisse dicit, si quis ad eum per tres dies non accesserat, arg. l. i. ff. de grande legenda.

§. III. Nos juris communis esse putamus, quod quoties subsellia in loco aliquo, v. gr. Templo, Auditorio, &c. reperiuntur, quorum usus eodem modo ad omnes pertinet, qui locum illum frequentant, quod inquam, tunc occupationi locus sit, i. e. quod nemio eâ sede expelli possit, quam primo occupavit. Talis occupatio autem per intermedium aliquod etiam fieri poterit, v. g. ut liber in eo loco ponatur, prout in Academiis moris est. Idem obtinet in rhedis publicis, in quibus occupatio commodæ sedis, vel per famulum, vel positionem pallii &c. fieri con-suevit.

PRIVI-



PRIVILEGIUM CII.

Quia sicut domus est cuilibet tutissimum refugium: ita domus scholaisticorum, quæ vocatur studium, sive schola, ita, ut Auditor ibi non posset capi, sive sint scholæ Theologorum, sive Decretorum, sive aliæ. P. 166.

OBSERVATIO.

§. I. Primo hic notandum, non esse privilegium, quod omnibus ædibus competit. Deinde dispositio l. 18. & 21. ff. de in jus voc. pertinebat solum ad privatam in jus vocationem ubi quilibet facile conceder, quod scholares privata autoritate ex scholis extrahere non liceat, cum nec intuitu ædium privataram hoc hodie amplius permittatur. Quod vero causas civiles attinet, in illis capture non est permissa, sicuti nec in causis criminalibus levioribus, de gravioribus criminalibus vero ipse Rebussus concedit, quod capture fieriqueat. E. parum ex hoc privilegio supererit.

PRIVI-



PRIVILEGIUM CIII.

Quod injuria facta uni ex scholaribus una habitantibus, censetur omnibus aliis facta & sic poterunt agere actione injuriarum, quia in aliorum contemnum censetur facta. P. 167.

OBSERVATIO.

§. I. Hoc in Praxi ita obtinet, ut dicit Rebiffus, sed ita, ut non judicialiter, sed autoritate privata reliqui ulciscantur injuriam alteri illatam. Sed male. Neque exemplum à Moise Ægyptium quendam occidente huc quadrat, aut assertum probat.

PRIVILEGIUM CIV.

Quia notitia scholastica multum prodest. P. 169.

OBSERVATIO.

§. I. Primo acriter in eos invehit Rebiffus, qui postquam ad honores admoti fuerunt, notitiæ scholasticæ planè obliviscuntur & dicunt suis notis & sociis, non novi vos, nec quod pejus est, loqui volunt cum iis. Imo quandoque etiam Praeceptoris dicunt,

cunt, nescio vos & dignantur eos habuisse Praeceptores & socios. Deinde autem fuse recenset, ad quid notitia scholastica proficit.

§. II. Primo, quod una crumena sit inter bonos scholasticos : deinde, quod amici æquiparentur consanguineis & sic quemadmodum legatum consanguineo de re aliena factum valet, ita quoque valeat si fiat studiose juncto magna amicitia : porro, quod amicus possit prosequi injuriam amico illatam, & agere sine mandato, ut conjunctus & consanguineus : quod amicitia præsumptionem inducat, homicidam non dolo, sed fato occidisse socium: quod amicus amico etiam ignorantie acquirat & ipsi stipuletur: quod testimonio amicorum credendum sit de facto, fama, scientia, moribus & bonitate socii, p. 171. 172. quod amicus omnia, quæ petit, ab amico obtinet, quando justa petit: quod scholasticus receptans suum amicum scholarem bannitum mitius debet puniri, p. 173. ubi in sequentibus p. 174. & 175. multa adfert de forma pingendi amorem verum veteribus usitata. Sed ista ad nos non pertinent & quod fructus notitiæ scholasticæ attinet, à Rebuffo tantopere deprædicatos, eos enarrasse simul est refutasse.



PRIVILEGIUM CV.

Quod pro injuria scholaribus illata
judex ex officio procedere & in-
quirere potest contra injuriantes
nemine petente.

OBSERVATIO.

§. I. Probationem exinde petit, quia Imperator in *Artb. Habita* se speciali dilectione ab omni injuria studiosos defensurum esse promittit, E. infert, ex officio non solum in actu judiciali, sed etiam in extrajudiciali defendi debent. Sed nego consequentiam. Ita similiter ex *I. 6. C. de Profess. & Med. lib. 10.* non sequitur: si quis eos vexaverit, poena arbitrio judicis plectatur, E. hoc ex officio fieri debet nemine conquerente, aut accusante.

§. II. Ad minimum praxis Rebuffo contrariatur, de qua ipse testatur *p. 177.* quod hodie in multis universitatibus melius defendant viles, servientes per Judices, quam studentes, quia ignari ignaros defendunt & dissimiles odio habent, &c. Evidem si grave delictum contra Studiosos committitur, Judex ex officio procedere debet; sed hoc etiam facere tenetur, si delictum contra

tra alium, qui non est Studiosus, commis-
sum fuit.

PRIVILEGIUM CVI.

Quod si injuria fiat scholastico &
alteri existenti in ejus societa-
te, si scholaris agat coram Con-
servatore ratione injuriæ illatae,
poterit & alter non scholaris co-
ram eo agere. P. 177.

OBSERVATIO.

§. I. Quinquaginta & septem argumen-
ta adducit Rebussus à p. 177. usque ad p. 188.
pro stabiliendo hoc privilegio, quæ singula
recensere nimis longum foret, unde hæc
summatis adduxisse sufficiat, integrum ar-
gumentorum cohortem eò collimare, quod
in casu, ubi duæ causæ connexæ sunt, una
ad se trahat alteram & utraque causa in e-
odem foro sit peragenda, de qua materia
DD. ad tit. ff. de quib. reb. ad eund. jud. eat.
agere solent.

§. II. Sed hic ante omnia inquirendum
esset, quisnam sit ille, qui injuriam schola-
stico intulit? Sine dubio autem Rebussus de
tali loquitur, qui non est ex ordine Studio-



forum, E. jam ulterius dispiciendum: utrum talis coram Conservatore Universitatis (puto Conservatorem idem esse, quod est Cura-
tor Universitatis) conveniri possit? Hoc supponit quidem Rebiffus, sed hoc errone-
um esse puto, quia Actor semper sequitur
forum Rei, sive sit Studiosus, sive non.
Quod si vero Studiosus Reum in foro ordi-
nario convenit, tunc nullum dubium adest,
quin alias, qui literis non incumbit, eun-
dem in eodem foro convenire queat. Sed
hoc forsan juris communis est. Ergo Re-
buffus probare debuisset, quod Studiosus in-
juriantem quemcunque coram Conservato-
re convenire posit, sed hoc non fecit. Si
vero hoc fecisset, tunc demum LVII argu-
menta illa adducere opus fuisset. Taceo,
quod Rebiffus p. 188. ipse fateatur, hoc ipsi-
us Privilegium non observari in Praxi.

PRIVILEGIUM CVIL.

Quia societas etiam quinque scho-
larium potest Syndicu[m] creare
& Procuratorem. P. 188.

OBSERVATIO.

§. I. Non video, qua ratione hoc ad Pri-
vilegia Scholarium referri poslit. Nam jux-
ta l.



ta l. 85. ff. de V. S. etiam tres faciunt Collegium, & per consequens etiam Syndicum constituer possunt, hæc enim constitutio omnibus Universitatibus à Superiore confirmatis concessa est. Dicit quidem, in Gallia non posse congregari universitates & oppida ad constituendum Syndicum sine licentia superioris, quia Galli faciles sunt ad tumultus & dissensiones; sed hoc ad Germaniam applicari nequit, quamvis etiam de ipsa Gallia adhuc dubitem.

PRIVILEGIUM CIIX.

Quod si scholaris in via aliqua occidatur, vel maleficium in persona ejus committatur, & malefactor non capiatur, nec puniatur, tunc decem domus proximæ sunt interdictæ usque ad quinque annos. P. 189.

OBSERVATIO.

§. I. Ita Bononiæ statutum esse dicit Rebuffus, non minus ac in casu furti, quod scholari factum, ubi vicinia tenetur ad res amotas sacramento Studiosi declarandas. Optat, ut hoc statutum alibi observaretur,



ast, quod non observetur, quotidiana experientia monstrat.

PRIVILEGIUM CIX.

Quod si scholaisticus egregius & inter alios in aliqua scientia excellentissimus, vel Doctor, occidat (quod Deus avertat) aliquem, & is postea propter homicidium, vel aliud maleficium per eum patratum ad mortem damnatus sit, vel condemnari jure possit, in hoc casu Princeps consuli debet, qui isti alioqui in literis excellenti gratiam mortis facere debet. P. 190.

OBSERVATIO.

§. I. Si poena homicidii ex jure divino universalis ortum habere supponitur, prout Criminalistæ communiter supponunt per textum *Genes. cap. 9.* tunc Privilegium cessat. Si vero aliud delictum commissum, tunc quidem Princeps dispensare potest & huc pertinet 1. 31. ff. de pæn. à Rebocco allegata; sed vero tunc dispensationi non solum propter



pter singulare studium & scientiam, sed & propter aliud insigne artificium locus est, v.
Carpzov. Pr. Crim. qn. 149. num. 62. seqq.

PRIVILEGIUM CX.

Quod licet familia potestatis (i.e. Magistratus) posset arma ferre; hoc tamen non procedit apud studentes, inter quos non poterunt servientes arma portare. P. 190.

OBSERVATIO.

§. I. Ratio, inquit Rebuffus, potest esse, ut scandalum inter hosce juvenes evitetur & tumultus, nempe illis armis scholastici seipsos, vel forte portantes interficerent. Et scholares portantes quotidie arma, ensim & alia, prælumuntur mali & animum habere malevolum, & raro isti venient ad magnam eruditionem, cum potius circa arma bellica, quam literas versentur, si sint sub Marte nati potissimum.

§. II. Apud nos nec Studiosorum, nec etiam Consiliariorum, aut aliorum in dignitate constitutorum famulis ensimi portare permittitur. Sed hoc non est privilegium



Dominorum, sed in gratiam ipsorum famulorum introductum, ne armis adversus se invicem abutantur. Si enim esset vera ratio, quam Rebuffus adfert, ne scholastici se ipsos, vel forte portantes interficiant, tunc certe nec ipsis Studiosis arma gestare permitti posset, quod tamen in nostris praecepit Universitatibus quotidie permittitur.

PRIVILEGIUM CXI.

Quod si scholaris exponat falsam monetam, falsi tamen puniri non debet, quamvis mercator sic exponens puniretur. P. 191.

OBSERVATIO.

§. I. Verum hoc esse dicit Rebuffus, si Scholaris ignoranter pecuniam falsam exposuerit, arg. l. 1. ff. de receptator. At vero tunc & mercatoribus ignoscitur. Sed, pergit, scholares magis jura, quam pecuniam scire (i.e. nosse) presumuntur, & potest haec ignorantia juramento illorum probari, tanquam quæ ab animo dependet. Ast credo, mercatorem etiam absolvendum esse, si jurato afferat, se falsitatem monetæ ignorasse, cum & hic sèpe peritissimi fallantur.

PRIVI-



PRIVILEGIUM CXII.

Quia si aliquis cesfit bonis & postea pervenerit ad pingviorem fortunam, ex integro conveniri jure potest; fallit in scholaribus, qui si emant libros post cessionem, non sunt ab iis auferendi, cum sint illorum arma. p. 192.

OBSERVATIO.

S. I. Quid de comparatione librorum & armorum lentiendum, quam hic iterum instituit Autor, de eo dictum supra ad Privileg. XIX. De Praxi ipse Rebussus ita conque- ritur p. 193. verum enimvero, inquit, ho- die iniqui Judices exilio dant studentes & eos odio sine causa proseqvuntur, & cum sint ignari, doctos non diligunt, in hoc ma- xime cognoscuntur ignari & mali, quia pro- fligant doctos & bonos, &c. De veritate hujus querelæ liberum cuilibet judicium re- linquo.

PRIVILEGIUM CXIII.

Quia libri scholasticorum non possunt capi ex aliqua causa, et-

I s jatm

iam pro executione rei judicatae,
sicut nec arma militum. P. 193

OBSERVATIO.

§. I. Eadem hic repetenda, quæ ad *Privileg. XIX.* monuimus. Interim ipse concedit Autor p. 194. quod libri Studiosorum pro expensis victus retineri possint & quotidie ab hospitibus retineantur.

PRIVILEGIUM LXIV.

Quamvis Procurator admittatur cum cautione rati, quando dubitatur de mandato ; tamen quando aliquis tanquam Procurator, seu consanguineus, vel amicus repetit libros scholastici, non debent eidem restitui, nisi plene probet mandatum speciale, quamvis cautionem dare sit paratus. P. 195.

OBSERVATIO.

§. I. In libris magnam versari affectiōnem dicit Rebuffus, & illud interesse esse petibile, pro quo scholaris multa ab hospite petere posset, & ergo fragilitati cautionis hospi-

hospites scholarium se committere non debere concludit. Consentio quidem, sed singulare quid subesse non puto. Quando enim dicitur, Procuratorem admitti cum cautione de rato, si de ejus mandato dubitatur, hoc saltem pertinet ad *negotia judicia-
lia & processus*, non vero eò extendendum est, quod quis alterius res promiscue cum Cautione rati *exrrajudicialiter* petere queat. Quod si vero judicialiter petuntur libri, tunc Rebuffi ratio non stringit, nam eadem ratione etiam intuitu aliarum rerum dici possit, quod nemo fragilitati cautionis se submittere debeat. Postquam autem Leges hanc Cautionem pro sufficienti reputarunt, & intuitu librorum exceptio ex Legibus ostendinequit; unum certe idemq; est, si ueres peratur, in quam affectio cadit, sive alia.

§. II. In reliquis cum Rebuffo consentio. Quærit: *Si quis dicat hospiti, trade libros & vestimenta mea illi, cui mandavero; aliquis illa verba audiens venit postea nomine illius scholastici, & hospes libros & alia tradit illi, quæritur, an hospes sit liberatus?* Neg. si ille, cui traditi sunt libri, non produxit mandatum.

§. III. Idem sentiendum de casu sequenti:

Depen-



*Depositui libros penes te & postea mitto literas,
ut eosdem libros mittas, tu tradis portanti li-
teras, quæritur, an sis liberatus, si ille aufu-
giat, vel vendat? Neg. nisi dixi, quod per
hunc nuncium mittere debeas, durch zeigern
diesen. Rebuffus p. 196.*

PRIVILEGIUM LXV.

*Quamvis Judæi habeant Privilegi-
um, ut possint res furtivas eis
pignoratas, vel venditas retinere,
donec per veros dominos pre-
mium reddatur; Judæi tamen
hoc privilegio contra studentes
uti non possunt, quippe si fa-
muli scholasticorum surripiant
libros eorum & vendant Judæo,
non poterit Judæus illos retinere,
donec scholasticus premium resti-
tuerit. P. 197.*

OBSERVATIO.

*§. I. Prætensum hoc Judæorum Privile-
gium irrationaliter esse ipse agnoscit Rebuf-
fus, nec ullam Legem, aut aliud fundamen-
tum adducit, ex quo illud stabiliatur. E.
etiam*



etiam Judæi neque à scholaribus, neque ab aliis pretium repetere poterunt. Quid de dicto Privilegio Potentissimus Rex Borussiæ ad Regimen in Ducatu Magdeburgico rescripsérit, ex sequentibus patet:

Friedrich / König in Preussen/

U. G. G. S. Was der Magistrat zu Halle wegen des von dortigen Schutz-Juden vorgegebenen Privilegii/ vermöge dessen Sie kein gestohlen Guth/ so sie gekauft/ ohne entgelt den Eigenthümern zu restituiren schuldig wären/ an Uns gelangen lassen/ fürgestellet und zu verordnen gebeten/ daß zeiget der Beschluß.

Wann Wir nun ernstlich wollen/ daß es hierunter nach den gemeinen Rechten gehalten/ und die Juden nicht weniger als die Christen angehalten werden sollen/ gestohlen erkaufstes Guth unentgeltlich zu restituiren/ als habt Ihr/ weil sie sich deshalb auf ein erhaltenes Privilegium beziehen/ solches von ihnen abzufordern und Originaliter einzuschicken. Seind Euch mit Gnaden gewogen/ Cölln an der Spree/ den 4. November. 1703.

Nescio interim, an prætensum Privilegium produ-



prodixerint Judæi, aut producere potuerint. Jam antea enim rescriperat Potentissimus Rex, se ejusmodi Privilegii non minisse, vel ad minimum illud sub- & obreptitiè imperatum esse.

PRIVILEGIUM CXVI.

Licet non teneatur quis regulariter actori edere ad intentionem fundandam; tamen libros tenebitur quis edere scholasticis ad intentionem etiam eorum fundandam. P. 198.

OBSERVATIO.

§. I. Causam studiorum cum causa fisci comparat, in qua Reus Actori instrumenta edere tenetur, l. 2. §. *divus. ff. de jur. fisci.* quemadmodum etiam in omnibus piis causis, quibus causa studiorum annumeratur, idem obtinere DD. asserunt. Interim re penitius inspecta, Rebuffus *editionem cum exhibitione confundere* videtur. Ait enim: si scholaris habeat librum penes mercatorrem, forte pignori datum, poterit illum compellere ad ostendendum sibi librum, & ista, addit, induxi contra revendorum librorum,



brorum, qui emerat libros ab aliquo, & postea scholasticus illos perebat sibi exhiberi, ut videret, an sui essent, & ita fuit judicatum & hoc expressum scribit Purpurat. *in l. 1. C. de Edend. &c.* Rectè. Sed de eo nullum dubium est. Ad exhibendum enim quilibet agere potest, qui interesse habet, sive sit Studiosus, sive non. Unde haec tenus nullum Privilegium subest.

PRIVILEGIUM CXVII.

Quod licet Judæi non debeant cohabitare cum Christianis; Scholares tamen Judæi addiscendi causa poterunt ingredi scholas Christianorum. P. 198.

OBSERVATIO.

§. I. Ad probationem prioris adducit *Rebuffus dictum Pauli 2. Corintb. cap. 6. Nolite jugum ducere cum infidelibus*, & exemplum Divi Johannis, qui balnea intrare volens aufugit, dum ibi Cerinthum veritatis inimicum vidisset. Ratione membra posterioris autem hoc argumento utitur, quia Judæi in scholis Christianorum poterunt quædam audire, per quæ forte ad Deum adducerentur, nec eos possemus lucrifacere. Chri-



Christo, si eorum colloquium prorsus vita-
renius.

§. II. Quod exemplum Johannis attinet,
illud in praesenti in medio relinquimus, cum
nonnulli de ejus veritate adhuc dubitent, &
præterea exemplis non sit judicandum, sed
Legibus. Paulus vero 2. Cor. 6. omne con-
sortium cum infidelibus & Judæis non pro-
hibuit, sed illud saltem voluit, ne de impi-
etate infidelium in consortio nostro partici-
pemus. Qui ergo Judæos ab omni consor-
tio excludunt, illi principia Papistica fovent,
& ergo dum Rebiffus asserit, Judæos schio-
lares in scholis Christianorum admittendos
esse, tunc certe id innuit, quod indeoles ve-
ræ Religionis exigit, & quod secundum illa
principia juris communis etiam quoad reli-
quum consortium in vita civili esse debe-
ret.

PRIVILEGIUM CXIX.

Quia sicut mulier ratione dotis præ-
fertur omnibus Creditoribus ta-
ctam hypothecam habentibus:
ita & scholastici in debitis studii
causa aliis Creditoribus quibus-
cunq; præferuntur. P. 199.

OBSER-



OBSERVATIO.

§. I. Cum causa dotis, inquit Rebuffus, & studii æquiparentur, ideo si Doctor, vel scholaisticus legerit in aliqua Universitate conventione facta de certo honorario, bona civitatis erunt tacite hypothecata pro dicto salario cum privilegio prælationis, Angelus & Ripa *in l. i. in f. ff. solut. matrimon.* Ob id, addit, consului cuidam primario, cui debebantur salary & victus, ut se opponeret venditioni bonorum mobilium alicujus artificis, & licet Creditores alii essent anteriores tempore, tamen hunc primarium dixi præferendum, & dicti Creditores eidem solverunt, quod est benè notandum pro regentibus in Collegiis & aliis Præceptoribus, ut facilius iisdem solvatur.

§. II. In *l. i. ff. solut. matrim.* de æquiparatione causæ dotis & studiorum nihil habetur, & quamvis Angelus & Ripa utramque causam inter se æquiparent, hoc tamen est contra vulgatum principium: in jure singulari non esse locum interpretationi extensivæ. Unde forsan dici posset, quod Angelus etiam hoc casu mentiatur sicut Diabolus. Apud nos Salary Præceptorum in Concurso Creditorum in quarta classe collo-

K

can-



cantur, Brunnem. de Proc. Conc. Cred. cap. 5.
§. 64.

PRIVILEGIUM CXIX.

Quod literarum studiosus poterit petere restitutionem in integrum, si eo in studio existente res ejus fuerit praescripta. P. 200.

OBSERVATIO.

§. I. Res expedita est ex iis, quæ ad tit. ff. ex quib. caus. major. moneri solent à DD. Absentia enim studiorum causâ est absentia laudabilis, quæ restitutionem parit.

§. II. Fallit interim hæc assertio juxta Rebiffum, (1) quando scholaris recederet à studio cum meretricula, & (2) quando non studeret in studiis publicis, quia privilegia conceduntur studentibus in locis privilegiatis, nisi forsan ob pestem recessisset. (3) Quando esset in Civitate, non ut studeret, sed ut addisceret idioma patriæ, ut sunt multi Germani in Gallia, vel ut vexet debitos, &c.

PRIVILEGIUM CXX.

Quod licet contrahentibus sit licitum,



tum, se invicem decipere; fallit
tamen in scholaribus, quia si à
Bibliopolis decipientur, possunt
restitui. P. 201.

OBSERVATIO.

§. I. Exempli causa adducit Rebussus, si
Studioſi emant libros defectuosos, vel falsos,
nam poterunt contra Bibliopolam actione
rehibitoria, vel quanti minoris agere.
Quod, addit, verum crederem, quando de-
ficeret unum folium, vel quaternus, secus
si defectus esset unius literæ, vel syllabæ, vel
nominis, &c.

§. II. Hic quidem non rectè intellexit Re-
buffus mentem Ulpiani, quando hic in l. 16.
§. 4. ff. de minor. dicit, *in pretio emtionis &*
venditionis naturaliter licere contrahentibus se
circumvenire. Primo enim non loquitur de
circunventione dolosa, quippe quo casu con-
tractus ipso jure nullus est. Nec sermo est
de *venditione rei vitiœ*, quia tunc ex *Ædili-
tio* Edicto cuivis emtori succurritur. Sed
Ulpianus hoc saltem vult, *quod venditor*,
plus accipere possit ab hoc emtore, licet a-
lius forsan idem non dedit, & quod em-
tor, qui plus dedit, quam alii dedissent, pro-

K 2 pter



sint ad tempus, statim reddituri ad studium. Ibid.

OBSERVATIO.

§. I. Rationem in eo ponit, quia in Academia, aut extra eam, hoc casa Studiosus nec forum contractus, nec domicilii habet, Studiosus enim in Academia domicilium non constituit. Sed valde dubito de hisce Privilegiis. Quamvis enim Studiosus non habeat forum domicilii propriè sic dictum in Academia; habet tamen forum privilegiatum, in quo non minus, ac in foro domicilii omnes actiones, ad minimum personales institui possunt. Taceo, quod alias revera eludarentur Creditores, si tamdiu expectare necesse haberent, donec Studiosus rediret ex Academia. Illud interim admitto, Studiosum non posse conveniri in eo loco, ad quem accessit ex Academia, ut brevi tempore ibi commoretur. Tunc enim cessat ratio modo adducta, quia hic nullum forum agnoscit, nisi forsitan de fuga sit suspensus.

PRIVILEGIUM CXXIII.

Quod literarum Studiosi non po-

K 3 terunt



ptereà conqueri non poscit, nisi sit ultra dimidium læsus, quia res non habent pretium certum, sed arbitratum. Hic E. nullum privilegium subest. Nam cuilibet, qui rem vitiosam emit, propterea actione redhibitoria, vel quanti minoris agere licet, ut ut non sit Studiosus, quod ipse tandem agnoscat Rebuffus. Econtrario autem Studiosus contractum rescindere nequit, licet aliquanto plus dederit, quam alii dare conservaverunt, nisi iterum ultra dimidium læsus sit.

PRIVILEGIUM CXXI.

Quod studentes ex contractibus in sua Patria vel alibi initis, non coguntur in loco studii responderem. P. 202.

PRIVILEGIUM CXXII.

Quod ex obligationibus contractis antequam ivissent ad studium, non possunt conveniri etiam extra studium existentes, sicut non possent, si essent in studio, in quo censentur esse, licet absint

terunt in locis, in quibus student, ex delictis alibi, etiam in Universitate commissis puniri.

P. 203.

OBSERVATIO.

§. I. Provocat quidem ad l. 2. *C. ubi de crim. agi oport. & ad l. 2. C. ubi Senatores*, sed praxis est in contrarium, juxta quam delinquens ubique locorum *in foro deprehensionis* puniri potest. Unde & ipse tandem Privilegium saltem obtainere dicit in criminibus levibus, ex levitate ingenii perpetratis, cum levia sub dissimulatione transeant, secus in enormibus & gravissimis, ut læsæ maiestatis & Hæresis, adde, homicidii, adulterii, & similium.

PRIVILEGIUM CXXIV.

Quod licet in delictis non admittatur poenitentia; si tamen icho-laisticus comedendi causa accipiat pullos alienos & postea pœnitentia ductus eos restituat, non committit furtum. P. 203.

OBSERVATIO.

§. I. Ratio est, inquit, quia forte erat instiga-



stigatus à re, super qua delinquitur, ut quia pulli & gallinæ quotidie accedebant ad suum cubiculum, vel Cameram, ut in simili dicitur, quod non tenetur incitatus, si verberet, vel occidat, se defendendo cum troderamine. Sed hæc ratio admodum inepta est. Pulli enim accedentes ad Cameram, Studiosi non delinqvunt, bene autem is, qui alterum ad iram provocat.

§. II. Idem esse dicit in Scholastico, qui incitatur ad adulterium à sua hospita: nam arbitratur minus peccare, quam si eam multum sollicitasset, qui sollicitando amitteret tempus, & sic dupliciter peccaret. Qua quidem in re consentientem habet Schöpf-ferum in *Synops. jur. ad tit. ff. de Adult. n. 37.* sed parum hoc ad mitigationem poenæ contribuere posse censeo.

§. III. Interim tamen, quantum ad ea pertinet, quæ de poenitentia dixit Rebuffus, eatenus cum ipso consentio, quod eō casu, quando per poenitentiam *res in pristinum statum restitui potest*, ea aliquid ad mitigationem contribuat, v. *Const. Elecl. Sax. P. 4. Const. 32. inf. Schöpff. tit. de furt. n. 62.* sed hoc non est privilegium Studiosorum, sed omnibus furibus, etiam illiteratis commune.



PRIVILEGIUM CXXV.

Licet Scholares non habeant domicilium in loco studii, tamen adhuc gaudent Privilegiis civium illius Civitatis, in qua student.

P. 204.

OBSERVATIO.

§. I. Illustrat Privilegium ex Statuto Montispessulani, quo cavetur, aliquem in prima instantia non posse extrahi à Civitate, E. hoc etiam debere observari in scholaisticis non-Civibus. Sed cum apud nos hoc juris communis sit, quod nemo ad judicium superius statim evocari possit, E. hic forsan Studiosis Privilegium asseri non poterit.

PRIVILEGIUM CXXVI.

Quod Statutum vel consuetudo dicens, scholares haberi pro civibus, intelligitur in his, quæ sunt in Privilegium concessa, non autem in his, quæ sunt in civium damnum, seu gravamen inducta. P. 205.

OBSER-



OBSERVATIO.

§. I. Rem ex dispositione juris communis claram esse putamus, per l. 25. ff. de LL quod ea, quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea duriore interpretatione contra ipsorum commodum non sint producenda ad severitatem. Nisi tamen ex circumstantiis de alia Legislatoris voluntate constet.

PRIVILEGIUM CXXVII.

Quod Scholaſtici non poſſunt ad munera illius civitatis aliqua compelli, in qua ſtudii cauſa degunt.
P. 207.

OBSERVATIO.

§. I. Hic conſentimus Rebuffo, quia domicilium non contrahunt Studioſi in civitate.

PRIVILEGIUM CXXVIII.

Quod filius ſcholaris teſtari poſteſt de donatis per Patrem, vel alium, licet adhuc ſit in patria poſteſtate.

P. 207.

K 5

OBſER-



OBSERVATIO.

§. I. Res iterum nota est ex vulgatis, si modo studiorum causa donatio facta & sic res donata ad peculium quasi castrense pertinet, alias secus.

PRIVILEGIUM CXXIX.

Scholaſtici dicuntur peregrini. Pag.
208.

OBSERVATIO.

§. I. Ergo, dicit, coram duobus testibus
testantur, *Auth. omnes peregrini. C. commun.*
de success. ubi obiter observat, Jus albinagii
Regis Galliae non habere locum in bonis Stu-
diosorum, quia Studiosi nihil acquirunt in
regno, sed omnia fere, quæ habent, in lu-
do literario consumunt.

§. II. Pergit, Studiosis arma gestare lice-
re. Exceptio in Academia Parisiensi, ubi
inhibetur, ne armati per Civitatem vagen-
tur.

§. III. Studiosos ab omnibus & maximè
ab Ecclesia tuendos esse. Sed hodie, in-
quit, magis quidem meretrices concubinariis
servientes defenduntur.

§. IV. Præsumi Studiosos ignorare con-
fvetudines Civitatis, sicut peregrinos, nisi
in civitate steterint per decem annos.

§. V.



§. V. Privilegia hæc nullius momenti esse videntur, Studiosi apud nos solennia juris communis observare tenentur: arma & Studiosi & alii gestant: non solum Studiosi, sed & alii contra vim injustam defendi debent: quilibet advena excusatur, quando leges fo- renses ignorat, sed hoc saltem ab initio, non autem, si per aliquod tempus in Civitate com- moratus est, ubi tamen decennium non re- quiritur, sed & brevius tempus sufficit.

PRIVILEGIUM CXXX.

Quod si testator legaverit scholari libros legales, si efficiatur Doctor in jure Civili: & medicinæ, si in medicina; si in utraque Faculta- te efficiatur Doctor, debet habe- re tam libros legales, quam Me- dicinæ. P. 2II.

OBSERVATIO.

§. I. Hoc non ex privilegio Studiosorum, sed ex præsumta Testatoris voluntate pro- fluere existimo. Interim observat Autor, uni homini in vita unam dictarum scientia- rum sufficere, etiamsi haberet excelsum in- tellectum, quia vita brevis, ars vero lon-



ga, &

*Qui binos lepores una sectabitur hora,
Uno quandoque, quandoq[ue] carebit utroque.*
Sæpius hoc verum est. Ejusmodi enim Polyhistores ex omnibus aliquid communiter sciunt, ex toto nihil. Interim tamen & exempla adsunt, ubi quis in diversis scientiis maximos progressus fecit. Unde hoc simpli- citer determinari nequit.

PRIVILEGIUM CXXXI.

Quod si alicui scholari legetur ali- quid in subsidium sui studii, de- bet solvi in loco studii, licet hoc non fuerit expressum. P. 213.

OBSERVATIO.

§. I. Bartolus & ejus similes hoc dicunt, Rebuffus rationem subnecit, ne scilicet Studiosus studium deserere cogatur, legatum habendi causa. Imo & sumtibus heredis præstandum esse legatum dicit, l. 8. pr. ff. de Leg. 2. ubi habetur, servum legatum sumtibus heredis reducendum esse, si post mor tem testatoris aufugerit, (quod hic non quadrat.) Addit, Studiosum, si querere deberet legatum in alio loco, plus detrimenti habere ex amissione temporis, quam com modi



modi ex pecunia legata. Sed annon Studi-
ofus per Mandatarium accipere potest pecu-
niā? tunc certe cessabunt illæ rationes.
Putamus etiam, casum rarissimum fore, ut
super loco solutionis lis oriatur inter here-
dem & legatarium, præsertim in hac mate-
ria, ubi leves sumptus, ad transmissionem pe-
cuniæ legatæ requiruntur.

PRIVILEGIUM CXXXII.

Quod si testator reliquerit alimen-
ta scholari, pecunia in Universi-
tate debebit solvi pro alimentis,
& non species, id est, vinum &
frumentum. P. 213.

OBSERVATIO.

§. I. Rationem reddit, quia adest Lega-
tum generis, non speciei. Nam, addit, si
licitum esset debitori dare in specie alimen-
ta scholaſtico, daret fabas, caseum & cepe,
quæ sunt cibi rusticorum, *gloss. in l. servis
urbanis ff. de legat. 3.* & tamen studentes de-
bent comedere bonaſ eſcas & bono vino u-
ti, ut ingenium acutius habeant, quod **ex**
illis, si Medicis credimus, generatur, nec
tenebitur scholaſticus vivere in domo here-
dis, qui tenetur præſtare alimenta, sed in U-
niver-



niversitate heres pecuniam dabit arbitrio boni viri, Bald. & alii *in l. i. C. de Legat.* alioqui impediretur scholastici studium.

§. II. Rationes Rebuffi parum quidem in recessu habent, interim tamen hoc juris communis esse censemus, ut quoties quis ad alimenta præstanta obstrictus est, debitor alimentorum certam quotannis pecuniæ summam pro iis solvere cogatur, ut scilicet is, cui debentur alimenta, sibi comparare possit, quod ad illius gustum est. Sic Stuprator quoque, qui ad alimenta filio naturali præstanta obstringitur, certam pecuniæ summam singulis annis solvere tenetur.

PRIVILEGIUM CXXXIII.

Quamvis Legatum incertum non valeat; tamen legatum incertum scholari factum bene valet, ut si legentur expensæ studii, vel aliud studii causa. P. 214.

OBSERVATIO.

§ I. Eadem hic est ratio, quæ in legato alimentorum militat. Determinatio enim fit juxta arbitrium boni viri pro conditione Legatarii & facultatibus Testatoris. Addit autem

autem Rebuffus, sub expensis studiorum non solum comprehendendi illas, quæ dantur pro libris & viœ, sed etiam, quæ pro matricula solvuntur, imò & expensas Doctoratus & omne id, quod legitime expenditur, Alexand.

Vol. 4. Consil. 77. num. 6.

§. II. Quærit, si heres gravetur, ut expensis hereditatis faciat Titium studere, nec dicitur, in qua facultate, quomodo teneatur? Respondet, heredem teneri facere eum instruere, ut legat & scribat, & demum ut grammaticè studeat, & alias secundum capacitatem ingenii scholastici, per *I. Stichus. ff. de leg. 3. Alex. in l. ita stipulatus. ff. de V. O.*

PRIVILEGIUM CXXXIV.

Quod de legato factō alicui literarum Studioso, non detrahitur falcidia. P. 215.

OBSERVATIO.

§. I. Cum causa studiorum communiter piis causis annumeretur, in his vero non detrahatur Falcidia, E. ex illa hypothesi Rebocco hac parte assentiri possumus.

PRIVILEGIUM CXXXV.

Licet Legatum annum factum
fratri

fratri minori, Prædicatori, seu alteri mendicanti, [Bettel-Mönch] cum repugnet mendicitati, non debeatur; tamen factum fratribus mendicantibus pro libris emendis & aliis oneribus studii supportandis, favore studii valebit. P. 216.

OBSERVATIO.

§. I. Fluit hoc ex interpretatione restrictiva, nam, prout ipse dicit Autor, per tale legatum non relevatur mendicitas, quia dicuntur mendicantes quoad victum solum, non quoad disciplinam. Quam in rem plurimos Autores citat Rebuffus.

PRIVILEGIUM CXXXVI.

Quia licet Legatum in annos singulos non debeatur, nisi anno finito; fallit, quando aliquid scholasticis legatur habitationis forte causa, vel mercedis, vel victus, tunc propter conjecturam voluntatis in anni cuiuslibet exordio debetur. P. 217.

OBSER-



OBSERVATIO.

§. I. Si legatum est *annuum*, tunc res re-
ctè sese habet, v. tit. ff. de ann. leg. sed tunc
hoc non ad sola studia, sed ad alia quoque
legata pertinet.

PRIVILEGIUM CXXXVII.

Quod legatum annum scholari
etiam in minus solenni volunta-
te relictum, per triennium præ-
statum, debebitur de cetero præ-
stari. P. 217.

OBSERVATIO.

§. I. Res ex *L. I. C. de fideicom.* clara esse vi-
detur, ubi vid. Brunnem. in *Comment.* Non
tamen dispositio d. l. in sola studiorum cau-
sa, sed in aliis quoque præstationibus pro-
cedit.

PRIVILEGIUM CXXXIX.

Quod si Pater, vel aliis, leget stu-
denti libros, vel cursum juris civi-
lis studii causa, tunc pecunia cen-
setur legata ad emendum illos li-
bros. P. 217.

L

OBSER-

OBSERVATIO.

§. I. Leges quidem, quas allegat, parum probant, præcipue *l. 35. §. 4. ff. de hered. insit.* interim tamen res per se clara est. Quod intellige, addit, quando testator nullos haberet libros, secus si Doctor vel Licentiatus suos legaret libros, tunc viderentur illi libri, quos habebat, legati. Videri quidem poterat, Legatum librorum, ubi testator, libros non habebat, ad minimam quantitatem redigi posse, & sic inutile esse, quia est legatum generis; sed resp. negando hoc, quia additum est: *studii causa*, & sic tot libri legati censentur, quot requiruntur ad perficiendum studium.

PRIVILEGIUM CXXXIX.

Quia licet quis teneatur suo proprio sacerdoti confiteri, *c. 12. X. de pœnit. Et remiss.* fallit in scholaribus, qui dimisso sacerdote in patria possunt in loco studii confiteri. P. 218.

OBSERVATIO.

§. I. Textus in *c. 12. X. de pœnit. Et remiss.* loquitur de casu, quandiu quis in eodem loco



loco manet, E. si quis eum mutat, sive in perpetuum, sive ad tempus, dispositio d. c. 12. non amplius locum habet, unde etiam prætensum hoc privilegium viatoribus & aliis exteris competere dicit Rebussus. Sed non est Privilegium. Neque illud juri consonum esse censeo, quod dicit: *teneri tamen scolares sacerdoti illius Parochie confiteri, in qua habitant; Habitare enim in hac materia idem involvere debet, quod domicilium babere;* ast Studiosi non constituunt domicilium, & sic neque habitant in hoc sensu.

PRIVILEGIUM CXL.

Quod licet unica Citatio pro tribus sufficiat; fallit in scholasticis, qui ter debent moneri, antequam priventur matricula. P. 219.

OBSERVATIO.

§. I. Provocat inter alia ad *gloss. inclem. I.* in verb. tertio. de vita & honest. cleric. quæ dicit, Clericos exercentes vile officium macellariorum, vel carnificum, non perdere privilegium per unam monitionem etiam peremptoriam. Idem esse dicit in clero non residente, quando de beneficii, & in milite, quando de feudi privatione agitur, pro-



pter contumaciam. Quod hodie generaliter ferè observari solet, ut nemo privetur jure suo, nisi trina Citatio præcesserit. Unde hoc in Studiosis pro peculiari aliquo haberi nequit.

PRIVILEGIUM CXLI.

Si Statutum certam poenam imponat offendenti scholarem & Rector scholarium jusserit aliquem in albo aliorum, quod matriculam vocant, describi, & ante descriptionem contigerit eum offendì, nulla mora facta per scholarem, offendens tunc punietur, ac si ille esset descriptus.

P. 219.

OBSERVATIO.

§. I. Rationem reddit, quia cingendus habetur pro cincto. Sic, addit, in peregrinis indulgentiarum causa Romam euntibus ac in itinere obeuntibus statuitur, ut indulgentias consequantur, ac si Romam ivissent, prout declaravit Papa tempore Jubilæi A. M C C L. Alber. *in diction. verb. jubileus.*

Con-



Contra in Hispania declaratum se vidisse dicit, quod scholaisticus non possit gaudere privilegiis, nisi prius fecerit unum cursum & audiverit cursum integrum, in singulos dies audiendo duas saltem Lectiones, &c.

§. II. Cum Studiosus, qui nomen professus apud Rectorem & ab hoc recipi jussus, revera jam sit Studiosus, non video, qua ratione hinc privilegium aliquod excuspi queat, praesertim si Studiosus non fuit in mora, quo minus ejus nomen in matricula describeretur.

PRIVILEGIUM CXLII.

Si Scholaستici nomen è matricula deletum sit, tamen adhuc gaudebit privilegiis scholarium, donec alteri diverse inscribatur. pag.

220.

OBSERVATIO.

§. I. Postquam hoc Privilegium retulit Autor, ita deinde subjungit: Et hoc intellegerem in mercatoribus, vel artificibus, secus in scholaribus, qui non solent describi in alia matricula diversa, sed in alia Universitate sic, & privatus scholaisticus matricula in Universitate, non gauderet privilegiis il-

L 3

lius



Ius Universitatis. Cur E. Rebuffus hoc inter Privilegia retulit?

PRIVILEGIUM CXLIII.

Licet Civitas sit interdicta, poterunt tamen Studiosi suas lectio-nes audire, quamvis in iis de di-vinis tractetur, nec etiam pec-cant audiendo tempore interdi-cti. P. 221.

OBSERVATIO.

§. I. Interdictum juxta Autorem censemur quædam prohibitio administrationis fa-cramentorum & celebrationis divinorum, vel executionis aliquorum spiritualium, & non prohibitio lectionum. E. hoc est ex interpretatione restrictiva, & præterea apud Evangelicos applicari nequit.

PRIVILEGIUM CXLIV.

Quod si scholaris verberaverit cle-ricum in sua patria modice, de-mum adeat Studium, vel in stu-dio verberet socium, potest ab illa manuum injectione & sic excommunicatione in studio à suo



suo Conservatore Apostolico absolvit. P. 221.

OBSERVATIO.

§. I. Textus est in c. quoniam. 9. X. de vit.
& bon. cleric. qui tamen atrocia facta expresse excipit, & non de studiosis in specie, sed de clericis, aut potius Monachis simul videntibus loquitur, addito tamen, ut nocenti pœnitentia iuponatur.

§. II. Si talis verberans sit Clericus, ille juxta Rebuffum à Laicis non potest condemnari ad emendam, cum Laici Clericis obsequi debeat, non imperare, vel dissimilare. Subjungit tamen exempla in contrarium, ubi Clerici ob furta & commissa falsa Parisiis ad emendam condemnati fuerunt. Et hoc quidem jure merito. Reatus scilicet excludit omnem dignitatem.

PRIVILEGIUM CXLV.

Quia illud, quod exponunt scholares, dicitur expositum quasi in utilitatem Ecclesiae. P. 222.

OBSERVATIO.

§. I. Idem exemplum de locatione frumentorum beneficij hic adducit, quod supra sub Privil. XXVI. adduxerat; quod cum ibi jam



168 PRIVILEGIUM CXLVI. & CXLVII.

refutatum sit, hinc lectorem brevitatis causa eo remittimus. Taceo, quod dicat Author: quasi in utilitatem Ecclesiae, quæ particula impropositatem denotat.

PRIVILEGIUM CXLVI.

Quod dum Studiosi deferunt libros, non tenentur ad vectigalia. P. 223.

OBSERVATIO.

§. I. Hoc Privilegio adhuc fruuntur Studiosi, unde cistis suis hæc verba inscribere solent: Studenten-Guth. Limitat Rebuffus (1) nisi diu à studio se absentassent, & (2) in rebus alienis mixtis cum libris. Unde dicit, si scholaris prudens portaret cum libris merces patris, vel consanguinei, vel alterius etiam exteri & dignoscatur fraus, certè bona illa confiscabuntur, l. i. *& ibi DD. C. de navib. non. excus. lib. II.*

PRIVILEGIUM CXLVII.

Quod juramento scholarium statut, an portent libros, nec ne, vel juramento nuntii libros deferentis, seu mulionis, vel aurigæ, quan-

quando scholaris non est præsens.

P. 224.

OBSERVATIO.

§. I. Quæstio eò redit: utrum Studiosi pati teneantur, ut res, quas secum portant, à Visitatoribus perquirantur & visitentur, unde ipse Autor quæstionem p. 225. ita format: *Quero, quid si publicani velint aperire scrinum, sive arcam, in qua sunt libri repositi, & videre, an permittatur?* Putat, quod non, quia inhumanum est, paupertatem alicujus detegere. Nam aperiens posset subtrahere & impedire scholasticos, vel muliones libros deferentes, & sic eis non permittitur &c. Apud nos tamen communiter Studiosi etiam cistas aperire coguntur, ut perquisitio fieri possit, neque facile visitans aliquid subtrahere poterit, quia visitatio in præsentia Studiosi fieri debet. Remedium evitandi visitationem per oblationem ad juramentum, apud nos inconsuetum est.

§. II. Fallere dicit privilegium (1) quando ex tempore de contrario constaret, & (2) quando secum portarent res tales, quas non ad proprium usum compararunt.

§. III. Quærit p. 225. Si Gabellarii negent
Ls cum



cum scholarem, quomodo succurretur? Resp.
Dic, scholaris probabit per literas matricu-
læ, quas debet portare. Licet, addit, con-
suetudo sit hodie, ut non petantur literæ
matriculæ, (imò apud nos petuntur) sed si
sit in habitu scholarium, talis præsumitur:
vel poterit probari per mulionem, qui vi-
dit eum in habitu in universitate, vel stabi-
tur juramento illius, qui dicit se scholasti-
cum, &c.

PRIVILEGIUM CXLVIII.

Quod si publicani cogant schola-
res, solvere aliquod vectigal, per-
dunt privilegia, si qua habent, &
præterea capitali poena puniun-
tur. P. 226.

OBSERVATIO.

§. I. Adfert c. dilecti. X. de Privilegiis &
I. universi. C. de vectigal. Notandum tamen
esse dicit, quod poena capitalis hic non in-
ferat ultimum supplicium, sed solum poenam
deportationis, amissionem civitatis & liber-
tatis.

§. II. Hodie in plurimis locis Studiosi à
vectigalibus non sunt immunes, nisi quoad
solos libros, de quo inter alia mores Hal-
lenses



lenses testantur. Quod si vero in aliis locis adhuc viget Rebuffi Privilegium, tunc quidem puniendi erunt Publicani, non tamen ita graviter, prout Rebuffus voluit.

PRIVILEGIUM CXLIX.

Quod ad collectas non tenentur,
nec ad alia munera ordinaria, vel
extraordinaria. p. 227.

OBSERVATIO.

§. I. Ergo, infert Rebussus à custodia portarum, quæ sit communiter tempore pestis, sunt immunes. Et quod eandem immunitatem etiam intuitu munera realium habeant in Gallia, præcipuè in Montepesulano, hoc probat per Privilegium Caroli IX. de A. 1437. mens. Maj.

§. II. De Privilegiis specialibus Gallorum nunc non disputabimus. Apud nos quidem à muneribus personalibus immunes sunt Studiosi, quoniam illa regulariter non nisi civibus imponuntur; at vero quoad realia hoc non procedit, quemadmodum etiam, si bona possident in aliquo loco, ordinarias collectas solvere tenentur.

PRIVI-



PRIVILEGIUM CL.

Quia Studiosi non possunt pro Re-
pressaliis capi. P. 230.

OBSERVATIO.

§. I. Hoc Privilegium quidem in textu
Avthenticæ fundatum, interim tamen sunt
nonnulli, qui illud non amplius observari
existimant, v. Titii Probe des Deutschen
Geistlichen Rechts lib. 4. Cap. 6. §. 27. Quic-
quid hujus sit, ad minimum tamen Rebut-
sum hoc privilegium minus recte ad Bidel-
los & typographos extendere puto, cum
neque in jure singulari interpretationi ex-
tensivæ locus detur, neque etiam hic pari-
tas rationis adsit.

PRIVILEGIUM CLI.

Quod Studentes non solum sunt
immunes in adeundo studium,
sed etiam in stando & redeundo.

P. 231.

OBSERVATIO.

§. I. Cum hoc Privilegium ex priori flu-
at, hinc eadem quoque repetenda erunt,
quæ ad illud monuimus. Interim sequen-
tem observationem hic obiter subjungit Re-
buffus

etiam finem accipere debeat; fallit in scholaribus, qui possunt eligere, sub quo Judice malint conveniri. P. 235.

OBSERVATIO.

§. I. Hanc electionem usque ad litera contestatam obtinere existimat Rebuffus, imò & post L. C. eidem adhuc locum esse addit, quando scil. L. C. per vim metumque facta, quia talis pro non facta habetur.

§. II. De hoc Privilegio in *Auth. Habita.* nihil extat, licet Rebuffus ad eandem provocet. Et cum apud nos judicium non à litis contestatione, sed ab insinuatione Citationis suum initium capiat; hinc & postea electioni locus amplius non erit.

PRIVILEGIUM XLIV.

Quamvis citatus coram non suo Judice (i. e. Judice incompetente) teneatur comparere, saltem suum Privilegium allegaturus; fallit in studentibus, qui si citentur à Prætore, vel à non suis judicibus, non tenentur comparere,

buffus. Quod si quis, inquit, conduxerit eqvum, ut eat ad patriam pro certo pretio in singulos dies dando, non tenebitur dare pretium majus in redeundo, sed idem pretium dabitur, quia idem est labor in redeundo; ideo idem debet esse præmium. Decisio adeo clara est, ut rationem dubitandi non videam.

PRIVILEGIUM CLII.

Quod Scholastici habent tres Judices, potestatem, doctorem & Episcopum. P. 233.

OBSERVATIO.

§. I. Quod coram Potestate, id est, Ju-dice loci ordinario conveniri nequeant Studio-si inviti, hoc sine dubio est Privilegium, quo adhuc hodie fruuntur. Si vero volunt coram Judice ordinario se sistere, hoc ipsis non est prohibitum, nisi juxta Rebuffum scholaris sit *clericus*, in quem ne quidem volentem Laicus jurisdictionem exercere pos-test. Sed hoc quidem ex jure Canonico, aliter apud Protestantes observatur.

PRIVILEGIUM CLIII.

Licet judicium, ubi sit coeptum,
etiam



re, etiam privilegium allegaturi.

P. 236.

OBSERVATIO.

§. I. Rationem reddit, quia quando notorie constat, aliquem esse privilegiatum, (seu, quando notorium est, Judicem citantem esse incompetentem) tunc Citatus non tenetur privilegium suam allegare. Sed hoc juris communis est & v. g. Civis oppidanus, quando à Rectore Academiæ citatur, eodem privilegio gaudet, si ita dicere fas est.

§. II. Ista, addit, intellige, quando constaret illum esse scholasticum, utpote si in Citatione diceretur, ciretis talem N. scholasticum Parisiensem; si vero hoc non diceretur, citatus deberet probare, se esse scholareni. Et istud, inquit, est tutius, ut semper privilegium allegetur, ut is, qui citavit, in expensas condemnetur.

PRIVILEGIUM CLV.

Licet filius fam. in patris potestate existens non possit in judicio stare sine consensu patris; fallit in studentibus, qui tam in civilibus, quam in criminalibus in studio existentes agere possunt. P. 237.

OBSER-



OBSERVATIO.

§. I. Leges, quæ in actionibus à filiofam. instituendis consensum patris requirunt, de peculio adventitio loqvuntur. Ratione peculii quasi castrensis ergo sine dubio agere poterit filius, quia hic pro Patrefam. habetur. Hactenus E. singulare quid subest. Quod verò Studiosus etiām in criminalibus agere posse, si forsan e. g. injuria aliqua adficiatur, hoc unicuique filiofam. licet, præcipue si Pater absens est.

PRIVILEGIUM CLVI.

Quamvis Monachus non habeat personam legitimam standi in judicio sine licentia Abbatis, vel alterius superioris; tamen quando est in studio, poterit implorare officium judicis, ut sibi Monasterium alimenta præstet. P. 238.

OBSERVATIO.

§. I. Monachus non habet personam standi, quoties *actio ordinaria* instituenda; at verò talis actio hic non instituitur, E. hoc ex interpretatione restrictiva fluit, vide quæ in simili casu de filiofam. diximus in *U. pract. Distinct. jurid. ad iur. ff. de pecul. Dist. I. p. 13.*

PRIVI-



PRIVILEGIUM CLVII.

Qui convenit Studentes alibi, quam
coram judicibus suis, cadit causa.

P. 239.

OBSERVATIO.

§. I. Hoc notoriè non observatur, sed
Studioſus coram incompetente Judice con-
ventus absolvitur ſaltem ab instantia & ad-
versariuſ communiter in expenſas condem-
natur, quod & intuitu aliorum obtinet, qui
ſtudiis non ſunt dediti. Poena amisionis
cauſæ statuitur quidem in *Artb. statuimus. C.*
de Epif. & Cler. in eo caſu, ſi quis Clericum
ad judicium ſeculare pertraxerit; ſed ſingula-
ria non ſunt extendenda. Taceo, quod
nec dicta diſpositio intuitu clericorum apud
nos obtineat, ſed originem crasso Papati
debeat.

PRIVILEGIUM CLIX.

Quod licet Dominus non habeat
jurisdictionem in ſuos domesti-
cos & famulos; fallit in Docto-
re, qui habet jurisdictionem in
ſuos ſcholares. P. 239.

M

OBSER-



OBSERVATIO.

§ I. Hoc apud nos experientia contrariatur, imo ipse Rebussus addit: sed hodie sunt constituti conservatores, qui jurisdictionem in scholasticos habent & exercent & sunt duo dati, (in Gallia) unus à Rege, vel plures, alter à Papa. Ex quo reliqua corrunt, quæ adducit, quod tamen Doctores possent cognoscere, si scholares ad eos irent. Hoc enim vi jurisdictionis, quam Doctores non habent, fieri non potest.

PRIVILEGIUM CLIX.

Quod artium Magistri sunt Judices inter suos discipulos. P. 240.

OBSERVATIO.

§ I. Hoc ex præcedentibus corruit. Magistri, qua Magistri, non habent jurisdictionem. Aliud, si integrum Corpus Professorum consideres. Sed de eo nunc non est sermo.

PRIVILEGIUM CLX.

Quod si scholaris fuerit coram suo Judice conventus, coram illo potest fieri Reconventio, licet Actor



Etor non adsumserit illum Judicem sponte. P.24I.

OBSERVATIO.

§. I. Hoc plane juris communis est per l.14. C.de sent. & interloc. Illustr. Stryk. introd. ad prax. cap. 14. §. I.

PRIVILEGIUM CLXI.

Quod licet jure novo non valeat quis adversarium suum ultra unam diætam trahere; fallit in scholaribus, qui possunt suos debitores coram suis conservatoribus & injuriatores usque ad quatuor diætas convenire. P.24I.

OBSERVATIO.

§. I. In c. u. §. I. X. de Rescript. in 6. dicitur, quod si Actor, vel Reus ejusdem civitatis fuerit, vel diœcesis, extra illam Civitatem, vel diœcesis in causa cognoscenda alicui committi non debeat, certis casibus exceptis, ubi tamen Reus ultra unam diætam extra diœcesis non est extrahendus. Diætam esse dicit 20. milliarium ex l. i. ff. si quis Cant. in jud. sif. E. Diæta est eine Tage-Reise.

§. II. Pro stabiliendo interim Privilegio

M 2

suo



suo ad Leges Galliæ atque Hispaniæ provocat, quæ nobis incognitæ sunt. Apud nos Commissiones vel in eo loco, ubi Reus commoratur, vel ad minimum in vicinia expediuntur, sine distinctione, an Studiosus, an alius quis Commissionem impetraverit.

PRIVILEGIUM CLXII.

Quod etsi Actor debeat sequi forum Rei; fallit tamen in scholari- bus, qui suos debitores coram suis conservatoribus possunt convenire. P. 242.

OBSERVATIO.

§. I. Apud nos ad minimum hoc privilegium non observatur.

PRIVILEGIUM CLXIII.

Quod licet ab interlocutoria non sit jure civili regulariter licitum appellare; fallit in scholasticis.
Ibid.

OBSERVATIO.

§. I. Miserum in hanc rem adducit argumentum Rebuffus ex verbis *Autb. Habita ibi: ab omni injuria defendamus*, E. dicit, etiam ab

ab injuria levi defendendi sunt scholastici. Apud nos in multis locis tam Studiosis, quam aliis à sententiis interlocutoriis appellare licet; ubi vero in aliis locis appellatio prohibetur, ibi nec Studiosis speciale quid indulget solet, de quo ipse conqueritur Rebuffus, & hinc Studiosos cum Davide ex Psalmo LIX. clamare dicit: Da nobis auxilium de tribulatione, &c.

PRIVILEGIUM CLXIV.

Quia esto, quod omissò medio de jure civili ad superiorem non sit appellandum; fallit tamen in scholaribus. P. 243.

OBSERVATIO.

§ I. Iterum hac ratione utitur, quia Imperator in Auth. *Habita* se sponte ad defensionem scholarium offert, E. omissò intermedio Judice ad Eum appellare licet. Sed quemadmodum argumentum misere cohæret, ita quoque praxis prætenso huic privilegio refragatur.

PRIVILEGIUM CLXV.

Quod quamvis Studiosus non in-

M 3 tret



tret scholas, sed domi repetendo
studeat, gaudēbit tamen privile-
giis scholarium. P. 247.

OBSERVATIO.

§. I. Circa hoc Privilegium DD. inter se
non convenire dicit, multos enim allegat,
qui eidem subscribunt, è contrario etiam
multos, qui illud negant. Conciliat autem
eos pag. 248. distinguendo: utrum scilicet
scholaris nil prorsus studeat, nec intret scho-
las; an vero studeat, ac sit profectus, ut du-
bia per se explicare possit. Priori casu ces-
sare dicit Privilegium, non posteriori.

§. II. Sed de priori casu non erat quæstio
in proposito Privilegio, E. inepte ita conci-
lliantur dissentientes. Interim, si quis do-
mi studiis diligenter incumbit, licet non
frequentet Collegia, propterea eum privile-
giis Studiosorum indignum esse non existi-
mo. Sapientia enim ad Collegia non est al-
ligata.

PRIVILEGIUM CLXVI.
Quod Privilegia, quæ competit
scholaribus, competit etiam co-
rum famulis & nunciis. P. 249.

OBSER-



OBSERVATIO.

§. I. Hoc admitto quoad fori competentiā, non autem quoad reliqua. Interim hoc non est Privilegium Studiosorum, sed famulorum eorum.

PRIVILEGIUM CLXVII.

Quia si longo tempore stetit famulus cum Studio illi intervendo, nulla de salario facta mentione, nec conventione, non poterit postea in fine salariū petere. P. 253.

OBSERVATIO.

§. I. Hoc non est speciale in famulis Studiosorum, sed in aliis etiam obtinet, nisi per mores certi quid jam fuerit determinatum. Ejusmodi enim famuli præter cibum & vestitum nihil merentur, quia operas exiguae præstant.

§. II. Conqueritur p. 254. Rebuffus, quod famuli Studiosorum victu tenui & vestitu vili contenti esse debeant; sed hodie potius querela invertenda esset, quod scilicet famulorum vestitus nimis pretiosus sit, ut interdum famulus a domino vix dignosci queat.



PRIVILEGIUM CLXIIX.

Sicut contra dotem non accipitur compensatio: ita nec contra Doctores, vel scholares sua petentes stipendia, vel alimenta. P. 254.

OBSERVATIO.

§. I. Res est expedita ex iis, quæ ad tit. ff. de compens. communiter tradere solent DD. Et per hoc, inquit Rebuffus p. 255. respondi cuidam bursario, qui Primario tenebatur ratione Processus in decem, ut non possit compensari debitum cum pecuniis, quæ pro victu singulis hebdomadis dantur, ne Collegiatus fame interea pereat.

PRIVILEGIUM CLXIX.

Quod licet sit peccatum ambitionis & præsumptionis petere honores; scholasticus tamen doctus & dignus potest petere circa peccatum honorem & dignitatem Doctoratus. P. 255.

OBSERVATIO.

§. I. Effatum Christi Matth. 23. v. 8. seqq. est, ne vocamini Rabbi, aut Doctores, ex quo ratio-

rationem cùbitandi desumisit Rebuffus. Sed præcedentes versiculi 3 & 4. ostendunt clare, quod Salvator de eo saltem casu loquatur, quando quis *ex fastu & stolidâ ambitione ejusmodi* titulos ambit. Si E. fastus deficit, tunc nor. est Privilegium, sed ex interpretatione restrictiva fluit, quod is, qui Magistri aut Doctoris titulum ambit, contra Præceptum Christi non peccet. Interim recte dicit Autor, paucis hoc concessum esse, quia domina ambitio totum possidet orbem.

PRIVILEGIUM CLXX.

Quamvis amicus pro amico non posset esse testis, nec socius pro socio, fallit in scholaribus, qui pro suis sociis testificantes non repelluntur propter amicitiam scholasticam. P. 256.

OBSERVATIO.

§. I. Restrigit hoc ad eum casum, si de tempore studii socrorum suorum deponunt & quod viderint e.g. solum in studio & lectiones audientem. Sad hic nihil peculiare adest, quia in tali casu vix alii testes haberi

M 5 possunt



possunt, at verò tunc & illi, qui alias inhabiles sunt, admitti solent.

PRIVILEGIUM XLXXI.

Licet non videatur dare fidejusserem idoneum, qui dat privilegium, fallit in scholaribus, qui si fuerint conventi in loco studii, possunt alios studentes privilegatos fidejussores dare. P. 257.

OBSERVATIO.

§. I. In l. 3. C. de privil. scholar. lib. 12. ad quam provocat Rebuffus, non est sermo de Studiosis, sed de militantibus in sacro Palatio, v. Gothofr. ad rubr. d. t. Et præterea hoc privilegium in praxi non observatur.

PRIVILEGIUM CLXXII.

Quod si scholaris pro suo socio fidejusfit & postea velit ad literarum studium accedere, potest agere contra Creditorem, ad subrogandum alium & ut ab illa fidejussione liberetur. P. 258.

OBSER-



OBSERVATIO.

§. I. Si fidejussor diu stetit in obligatione, tunc admitto, alias non, sed tunc nihil speciale adest. Quo etiam pertinet, quod addit, si Studiosus pignori dederit libros, vel vestes pro socio, poterit eos petere. Putat quidem, hoc etiam non expectata temporis diuturnitate fieri posse; sed hoc ex erronea hypothesi profluit, ac si Studiosi libros obligare nequeant, quam supra refutavimus.

PRIVILEGIUM CLXXXIII.

Si Præfectus vigilum noctu, vel interdiu capiat scholarem & hic dare velit fidejussores de judicio sisti, Præfectus autem eos recipere recusat, tunc tenetur actione injuriarum. P. 259.

OBSERVATIO.

§. I. Præfectis Vigilum apud nos non competit potestas dimittendi captivos & acceptrandi fidejussores, E. applicari nequit Privilegium. Ipse vero Magistratus in causis levioribus (de quibus loquitur Rebussus) non solum Studiosos, sed alios quoque illiteratos præstata



Stita idonea cautione ex carcere dimittere tenetur.

PRIVILEGIUM CLXXIV.

Si quis indebitè alimenta Studioso solvit, eadem repetere nequit.

P. 260.

OBSERVATIO.

§. I. Afferunt communiter DD. pietatis causa solutum non posse per condictionem indebiti repeti & piis causis alimentorum causam quoque annumerant. At verò hoc non ad solos Studiosos, sed ad omnes pauperes pertinet, v. Engelbrecht *ad ff. de Cond. indeb. tb. 7. in f.*

PRIVILEGIUM CLXXV.

Licet donatio inter virum & uxorem non valeat, fallit, quando uxor dives donaret scholari pauperi, ut efficeretur Licentiatus, vel Doctor, & ut illa vocari possit Domina & effici Domicella.

P. 260.

OBSER-

OBSERVATIO.

§. I. Ad consequendas dignitates donatio inter Conjuges indistincte est permissa, *I. 40. ff. de don. int. Vir. & Ux.* Lepide addit Rebuffus, quod tamen Maritus postea non teneatur uxorem vocare dominam, quia privilegio, quod uxor ex persona mariti est consecuta, adversus illum uti non debet.

PRIVILEGIUM CLXXVI.

Quod si utriusvis juris scholasticus partim legat ante adeptum gradum Doctoratus, & partim postea, illud tempus, quo legit ante gradum Doctoratus, computabitur illi, ut Comes efficiatur.

P. 261.

OBSERVATIO.

§. I. Rationem reddit, quia in *I. un. C. de Profess. qui in urbe Constantin. lib. 12.* solum requiritur, ut sint *juris periti*, non vero Doctores. Hoc quidem ita est, sed quia tamen Lex de *Professoribus* loquitur, qui scilicet publica autoritate constituti sunt & qui *inter statutos connumerantur*, quales non sunt Stu-
diosi legentes; hinc minus recte se habere



re existimo assertum Rebuffi. Taceo, quod dispositio specialis de Professoribus Constantinopolitanis ad nostros indistincte applicari nequeat.

PRIVILEGIUM CLXXVII.

Quod Pater filio suo scholastico, licet sit potentior ratione privilegii, cedere posit jura & actiones sibi competentes. p. 261.

OBSERVATIO.

§. I. In Gallia hoc privilegium usum habere potest, prout adducit Rebuffus, quod facta cessione Studiosus debitorem coram suo conservatore convenire queat. Sed hoc nihil ad nos. Apud nos cessionarius non utitur privilegio proprio in præjudicium debitoris, v. Lauterbach. p. 334.

PRIVILEGIUM CLXXIX.

Quod postquam hæc scholastico-rum privilegia sunt in corpore juris clausa, ob id motu proprio concessa esse censentur. p. 271.

OBSERVATIO.

§. I. Ex quo infertur, dicit, quod hæc privi-



privilegia contra scholasticos retorqueri nequeant. Sed hoc quidem, si modo revera adest Privilegium, & alias fieri nequit, sive Privilegium motu proprio, sive ad instantiam alicujus concessum, unde non video, ex quo iundamento præsens hocce assertum in numerum Privilegiorum retulerit Autor, nisi forte, ut eò magis illum augeret.

PRIVILEGIUM CLXXIX.

Quod si mandetur per Regem, ut omnes exempti habeant solvere collectas, vel alia munera, non obstantibus privilegiis quibuscunque, scholares tamen non tenebuntur solvere. P. 272.

OBSERVATIO.

§. I. De hoc Privilegio valde dubito. Dicit quidem, quod generalis privilegiorum derogatio non comprehendat privilegia in corpore juris clausa, qualia sunt scholasticorum privilegia; sed hæc est petitio principii. Absque dubio enim Princeps privilegiis in corpore juris clausis æquè ut aliis derogare potest.

PRIVI-



PRIVILEGIUM CLXXX.

Quod ista Privilegia non solum
competant scholaribus Legum
& Canonum Theologiae, sed et-
iam scholaribus cujuscunque Fa-
cultatis, etiamsi Grammaticae
studeant. P. 274.

OBSERVATIO.

§. I. Hic non adeit novum Privilegium,
sed declaratio, quid sub vocabulo *Scholaris*
comprehendatur, ubi quoad eos, qui Gram-
maticae incumbunt, hanc rationem adducit
Rebuffus, quia hi multis se exponunt peri-
culis & verberibus & se amore scientie
exinaniunt, ideo haec eis privilegia
concedentur.

F I N I S.







8. 37 ¹⁰
— ~~2,7~~

AB 37 ¹⁰
—
47

Ka 6102 a



Farbkarte #13



BSERVATIONES
DE
**IVILEGIIS
UDIOSORUM,**
AD
RUM REBUFFUM,
De Montepessulano.
Autore
FRID. LUDOVICI,
D. P. P. ET FAC. JURID.
ADSESSORE.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
CHRISTOPH. ANDR. ZEITLER.
An. MDCCV.